
VLTERIVS
NIHIL DICTVM
PRIVS DICTVM



DE DIEBVS DECRETORIIS ET MORBORVM CAVSA CAELESTI

Ad iuuandam præclaram Artis Medicæ Professionem iuxta Summor. Pontif. & Sacr. Concil. Tridentini indultum,

EPITOME ASTROSOPHICA

Physicis maximè rationibus, deinde Galeni, Aristot. & Ptolemæi præceptis contexta:

A


D. PLACIDO DE TITIS
PERVSINO OLIVETANO
In Almo Ticinensi Gymnasio Mathematicar. Professore

publicè exhibita.

Cum L. Natalium Exemplis partim apud grauissimos Authores inuentis, partim ab eruditorum manu traditis.

TOMVS SECVNDVS.





TICINI REGII, M.DC.LXV.

Ex Officina Ioannis Ghidini.

DE DIEBVS DECRETORIIS

ET MORBORVM CAVSA CAELESTI

Ad iuuandum praeclaram Artis Medicae Professionem iuxta Summor. Pontif. & Sacr. Concil. Tridentini indultum,

EPITOME ASTROSOPHICA

Physices maxime rationibus, deinde Galeni, Aristot. & Ptolemaei praeceptis contexta;

A

D. PLACIDO DE TITIS

PERVSINO OLIVETANO

In Almo Ticinensi Gymnasio Mathematicae Professore publice exhibita.

Cum L. Naraliam Excerptis partim apud grauissimos Authores desumptis; partim ab ipsomet Authore productis.

TOMVS SECVNDVS.



TICINI REGII, M.DC.LXV

Ex Officina Ioannis Ghidini.

AD EXCELLENTISS. SENATVS Prouinciæ Mediolanensis

ILLVSTRISSIMOS DD.

D. COMIT.

BARTHOLOMAEVM ARESIVM Regentem, & Præsidem.

SENATORES.

D. Carolum Patellanum.
D. Ioannem Bragherium.
D. March. Hieron. de Talentis Florent.
D. Don Luysium Franco Carillo.
D. Io. Baptistam de Puteo.
D. Comit. Carolum Archintum.
D. Ant. Mariam Erbam.
D. Ioseph de Loaysa.
D. Sebastianum Ceruelam Caxam.
D. Comit. Vimercati Io. Bap. Siccumborellum.
D. Comit. Carolum Corium,
D. Franciscum Villanum.



Ancitum à Vobis est, firmiterq. statutum, Optimi Patres, inter cætera præclara gerenda; non nisi iunctis vnà manibus, è ditissimis clementiæ vestræ thesauris ad commodandum de more semper haurire; quip-

quippe quibus vberiori plenitudine vestrorum in clientum sinum infundatis vniuersis generis bona, Quod hactenus mea gratiarum, & pensi refert, ex æthereis pagis, ad quos colendos Magnificentiæ vestræ placuit me locare, comparatas inde pro mei met virium imbecillitate fruges redditurus hic veneranter adsum. Iam priorem de Diebus Decretorijs partem amplecti dextera, illoque regali, quod vestris micat ab humeris paludamento tueri non renuistis: Posteriorem hanc in præsentiarum, & grates relaturus, & patrocinium exoraturus offerens appello læuam, è qua non leuiora fluunt herclè, quam à dextris munera; ad læuam, aio, nunc me verto, dedoque ratus tot tantisque præsidijs fore me cœlesti Sophiæ pacata mente iuxta votum posse vacare. Diù seruet Vos Deus incolumes, & feliciores in dies ostendat. Diù inquam valeatis.

Ad humanissimum Lectorem.

STrenuus animo vir, & fortis robore, nemo non videt, benigne Lector, sola dextera fultus, id plenitudinis audaciæ corde concipit, & mente, qua vel ab infenso cætu, vel immani feritate conteri, vel submitti nunquam ille formidet. Alexander Macedo munitissimas hostium arces primus omnium aggrediebatur, & vnus ascendebat, metu funditus pulso. Hercules qualia fuerit ausus & quanta neminem latet, eousq. sanè quo diros etiam Leones discerpturus adoriretur. Verum profectò non sola dextera freti, perinde læuam negligerent, qua vel scutum gerebant, vel aduersas in partes inimicorum agmina, ferarumq. mandibulas vna cum altera discindebant; gemina quippe virtus potentior. Orionem inter Sidera tum Poetæ, tum Astronomi virum ita fingunt in habitu bellatoris, vt ensem dextera gerat, sinistra, ne missam hanc imbellem facerent Clypeum. Artis medicæ professores plerique solo sapientiæ suæ robore cunctos quoslibet morbos quantumuis graues & vehementes à se comprimi, deleriq. posse certò putant, postposita cælestium causarum contemplatione, quam tamen re vera primarij huius artis magistri, vt Hippocrates, Galenus, Trismegistus, aliíq. doctissimi non despexerunt. Imo censeres quod egomet ipse potiorem Astrosophiæ partem ad hanc rem præterijsse vbi iã in vulgato laboris Opusculo de solo Decubitu profiterer; cum tamen ea quæ penes ægrotantes accidunt, Ptolemæo teste, superiorem, & validiorem habent causam in infantis ortu, cuius cælestis constitutio præcognita non tantum ad leuandos ægros, verum & ad seruandos bene valentes aditum pandens mirum in modum præstat. Vlterius porrò iuxta meum institum ingrediens, posteaquam de rebus illis egissem, quæ ad infirmorum & occubentium pertinent curam, & agnitionẽ,

oc-

occasum videlicet quemdam siue dexteram orbis partem lustrassem, vt omnem ambirem hoc, quem assumpsi labore circuitum in præsentiarum ad laua orientis me conuerto de natalibus acturus: Videbor vtiq. non vltrò, quin imò retrorsum ire, quod est à nouissimis ad priora: non ita mi Lector; nam si bene meministi Classes Regis Hispaniarum, & nostri Maximi, cum iamdudum ad occidentales Orbis nuper cognitas plagas iter instituissent circumeuntes vniuersam Tellurem è regionib. Orientis sese nobis reddidere: non dissimile quoddam contingere mihi putes, qui cum è mediterraneo sinu communis vulgatæ sententiæ columnas Herculei freti traijciens exijssem, ea prodidi in iam exposito tomo, quæ medicinæ professoribus faciliora, & clariora publici causa boni præsto ad manus in cura languentium videbantur opportuna. Nunc verò, quo totum ad hanc rem opus absoluerem adijcio contemplationem accuratoris diligentiæ, & studij; atq. non modo ad ægrorum valetudinem recuperandam attinentem, verum insuper ad benè valentium cautelam, & præseruationem. En vides, quod ad vlteriora dirigo pedem. Quantum verò lucri salutis hinc accipere quisq. studeat possit, nunquam satis aperirem: vnu hoc exprimere liceat. Si quilibet nostrum propriæ nouerit mixtionem temperationis, & quibus morbis sibimet ipsi videatur obnoxius ex natalitia cælesti cõstitutione; si verum sit, quod in dubium reuocare nemini licet, contraria contrarijs expelli, & quod nauus agricola cum Siderum, & Elementorum iniurijs pugnans vel minuit, vel prorsus tollit incommoda; vel si demum illa faueant, ad superfluentem vbertatis cumulum fruges extollit; quis est qui non videat vnumquemq. nostrum, & posse tueri, atq. seruare bonam valetudinem, & minuere, vel abolere molestam siue præsentem, siue futuram? clarius hoc luce Solis nitet. Cæterum iuxta meum morem physicis primò rationibus differo, deinde summorum Authorum innitor monitis, tandem, quæ disciplinarum omnium iure merito vocatur magistra, ipsa res penes exempla, quippe quæ tradita præcepta declarat intellectui, & ea fucata non esse planè testatur. Nonnulla in hoc secundo Tomo si recogno-

gno-

grosces, quæ forsitan in superiori te vidisse memineris, ne grauiter quæso feras; nam in illo de themate Decubitus ducta percipies esse; in hoc verò de natalitio. In vniuersum enim plura dantur præcepta, quæ communia ponuntur his duabus constitutionibus; adeoquod non fuerit ab re, imò non minus necessarium nunc ea repetere, quæ maiorem ad rerum dilucidationem inseruire poterunt. Præ cunctis autem illud primum, et maximè te scire vellem, pie Lector; quod sicut æqualitas, ordo & continuatio motus Astrorum suos per Orbes, tum deniq. sempiterna lux, quæ iugiter ab eisdem scatet, quæ cuncta videnti, & intelligenti mirum afferunt, declarant adesse sapientissimum, & omnipotentem in vniuerso rectorem, & opificem Deum O. M. & omnia, quæ fiunt in mũdo bona ab eiusdem nutu manare, potissimè verò quæ contingunt hominibus, iuxta illud Prophetæ, in manibus tuis sortes meæ: *ita similiter quæcunq. in hoc, & in alijs huius professionis operibus deprompsi, eidem subesse fateor, & decerno; neq. ad hominis voluntatem Astra pertingere, qui cum omnimoda libertate factus, & missus est; Etenim ijs, quæ docet Ecclesia Sancta, insuper & quæ vera naturalis, & pia ratio suadet, vt parendum omninò duxeram, ita humillimè & firmiter statuo. Vale; & fruere.*

ERRATA

Pag.	linea *tollenda.*	*reponenda.*
	8. pronuncias	prouincias
4.	30. veneratorũ	venenatorum
12.	2. & 3. vespertinæ	vespertini
19.	28. nullus	nullas
27.	4. habet	habent
30.	5. *venusq.*	*Venusq.*
30.	32. sine	siue
32.	24. inuentiũ	intuentium
38.	27. radijs	radij
61.	14. *luminaris*	*lunaris*
73.	vlt. in hac.	in hac re.
89.	15. sensibus	senibus
91.	23. robustio	robustior
110.	1. habent	habet
110.	1. malencholico	melancholico
110.	30. *nimirum*	*nimium*
128	19. notatum	notatu
150.	10. sine defluxu	siue defluxu
151.	34. exsiccandos	exsiccando
154.	2. *omnis*	*omni*
155.	19. quoqui	coqui
165.	25. decationem	dicationem
202.	15. ætatis suæ 33.	ætatis suæ 34.
202.	vlt. locis	loci
204.	4. Annos 33.	Annos 34.
204.	26. aut	at
208.	7. paruam	prauam
210.	12. stenditur	ostenditur
214.	1. liquatu est	liquata est
215.	in culmine. ♏	♍
217.	3. contractoine	contractione
217.	10. descendes	descendens
219.	10. in quæ signis	in signis quæ
225.	37. degorem	degerem
229.	24. comparuerit	comparauerit
251.	3. a	ad

Nonnulla alia leuiora menda benignitati Lectoris relinquimus.

DE

DE DIEBVS DECRETORIIS AD IVVANDAM ARTEM MEDICAM

Iuxta Summorum Pontific. & Sacr. Concil. Triden. Indultum.

EPITOME ASTROSOPHICA

Physicis rationibus, atq. Ptolemaî Aristotelis, & Galeni præceptis constructa.

A D. PLACIDO DE TITIS PERVSINO OLIVETANO

Tomus Secundus

CAP. I.

De vniuersalibus constitutionibus, quæ vniuersales effectus producunt.



Tolemæus posteaquam in primo libro Apotelesmatum exposuisset prima huius Artis principia, quæ nimirum res astronomicas comprehendunt: in toto 2. libro profitetur de causis vniuersalibus, quæ scilicet producunt effectus vniuersales super totam aliquam prouinciam, vel super plures, & procedit naturali omnino ordine ab Eclipsibus luminarium, & Stellarum transitibus, tanquam à causis: primò requirens pronuncias, deinde subiectum in genere, & in specie, super quod euentura sint accidentia, vt vel super Elementa, vel super agros, vel super animalia bruta, vel super homines &c. Mox naturam, & qualitates ipsorum accidentium: tandem tempora tũ initij, tum durationis, tum vehementiæ eorumdem.

Igitur si contingat quod accidentia casura sint super homines: vt ad rem nostram loquamur: id quod cognoscemus è signis, & imaginibus humanis assidentibus in loco Eclipsium, & in cardinibus præcedente, & sequente sicut docet Ptolemęus: tunc obseruare oportet quis planeta dominetur in loco Ecliptico, & cardinibus prædictis, maximè verò per familiaritatem, & à beneficis benignam, à maleficis hostilem Etsi cõtingat esse maleficum, Ptolemæus de his ità docet.

Saturnus vbi solus dominationem fuerit fortitus, corrūpit generaliter frigore. Peculiariter autem sunt huius, cum in homines illa corruptio cadit, morbi diuturni, tabes, marcores, humores, molestia, & fluxiones, febres quartanæ. Tum exilia, inopia, angustiæ, luctus, terrores, mortes potissimum ætatæ prouectorum: & cæterà plura, quæ in textu videre poteris, Vniuersa enim quæ ad vsum hominum apta sunt comminuit frigore, & morbos violentosq. casus in homines excitat &c.

Quod si dominetur alter maleficus: *Mars*, ait, *vbi solus arripuit dominationem generaliter corrumpit feruore &c.* vt in textu.

Et primo hic aliquis dubitare poterit, quare luminarium Eclipses causæ fiant ingentium effectuum in mundo. Ad quod Resp. ijsdem nostris principijs iam alibi expositis: eadem enim in Astris virtus actiua est, siue sit particularis erga quoduis indiuiduum mixtum, siue vniuersalis erga totum genus eorumdem quodlibet, vt insinuat Ptol. cap. 1. lib. 3. Luminaria sua luce intromittunt in elementarem plagam fæcunditatem quamdam, quæ consistit in calore, & humiditate fæcundis cælestibus, non elementaribus, vt sæpius demonstrauimus, quibus producunt quodcumq. fæcundum est, & bonum, & sunt mixta vniuersa, viuentia, & alimoniæ, atq. ipsæ qualitates, calor, & humiditas vitales viuentium, de quibus Philosophus in 3. de gener. animal. cap. 9. intelligit quando dicit. *Generantur autem in terra humoreq. animalia, & plantæ; quoniam humor in terra. spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita ut quodammodo plena sint animæ omnia &c.* quando contingit luminaria deficere, iam clarè sequitur, quod desistunt producere has actuales qualitates: vnde fit quod eueniant morbi, penuriæ, sterilitates, elementorum confusiones, diluuia exundationes fluminum, grandines, procellæ, terræmotus, atq. vniuersa à Ptolemæo exposita.

At vero rursus aliquis subijciet. Quando in Eclipsibus dominantur benefici, iam potius bona, & proficua Ptolemæus asserit prouenire: igitur non ex defectu luminarium. Ad quod Resp. in primis quod re vera nunquam cognoui Eclipsim subsequuta fuisse bona, sed semper destructiones, & calamitates.

Con-

Conceſſo tamen quod ex valido bonorum ſiderum dominio poſſint ſequi bona: Quando deficiunt luminaria, ſufficiuntur ad eorum munera qualitates prædominantium; quemadmodũ Ptolemæus docet in cap. de electione moderatoris vitæ, vbi quãdo luminaria abdicata inueniũtur ab hoc munere, aſsumit, & ſubſtituit dominatores; dominiũ enĩ Planetarũ ſiue in Eclipſibus, ſiue in natalibus eſt velut inter regnum quoddam; vnde fit quod ſi tunc benefici aſſumant dominium, afferunt bona, & proficuum ſi verò malefici, vtiq. mala, & deſtructionem.

Tandem dicet aliquis. Ptolemæus agens de Cometis; tribuit eis vim actiuam producendi vniuerſales effectus, & ſiue bonos, & profuturos, & ſiue malos, & obfuturos. pro diuerſitate colorum Crinitarum &c. cum tamen luminaria non deſiſtant à ſuo munere, neq. patiantur deliquium. Reſp. Quod hæc ſublunaris materia cum ſit potentia facillimæ traſmutationis, vt communiter aſſerunt Philoſophi, & Stagirita in pleriſque doctrinæ ſuæ locis affirmat, quod materia illicò, & facillimè contrarias qualitates admittit: ab apparente de nouo luminoſo corpore, ſi producantur nouæ qualitates, hæc informis materia ſtatim eas recipit: Quare liquido conſtat, & ratione omninò naturali, cur Eclipſes, & Crinitæ ingentium effectuum cauſæ fiant.

Si quis Inter hæc præcognouerit quæ decreta minitentur vniuerſales cauſæ, & ſiue per violentos caſus, ſiue per prauas, & corruptas qualitates: atq. ſubijci huiuſmodi decretis prouinciam in qua degit, non erit admodum difficile vnicuiq. vel euadere, vel minuere in ſe ipſo infelices effectus vniuerſales, cautelis, medicamentis, & à prouincia diſceſſu: imò & ipſis Principibus vniuerſæ regioni prouidere, & occurrere.

In hoc autem capite duo ſpectanda ſunt, & ab inuicem diſtinguenda: ſcilicet violenti caſus, & qualitates putreſcentes, quæ morbos epidemiales afferunt. Rurſus Epidemiæ diuerſas habent cauſas, & origines in viuentibus particulares, & in diuerſis corporis partibus. Violentos caſus in Eclipſium decretis vt plurimum afferunt maleficæ quando vel ambo concurrunt maleficio erga luminaria; atq. ſi circa Eclipſim, & angulos præcedentem, & ſequentem aſſiſtant fixę maleficæ illuſtriores, vt Baſilicus, Antares, Syrius, Procyon, Aldebaram

Orion, atque aliæ; maximè verò si malefici Planetæ cardinales fuerint: eadē enim doctrina est, & ratio valet in effectibus vniuersalibus, sicut in particularibus: at verò de naturalibus, & violentis casibus in homine particularibus, quid afferat Ptolemæus dicemus infra suo loco.

Violenti casus vniuersales, reuocari possunt vel ad bella, vel ad naufragia, vel ad terræmotus, vel ad incendia, vel ad diluuia, & fluminum exundationes, vel ad caritatem, vel ad quæq. alia similia. Singula hæc discernemus ex natura Signorum deliquij, & cardinum prioris, & posterioris partim etiam ex prædominatore: nam Signa aquea naufragia, & diluuia, maximè iuxta Delphinum; terrestria terræmotus; ignea incendia; humana bella populationes, tumultus lues &c.

At verò Saturnus potius diluuia naufragia, & terræmotus: Mars bella, incēdia, & populationes; & cōcurrit ad terręmotus illos, qui è subterraneo igne fiunt. Stellæ fixæ, vt Antares fluuiorum exundationes, & naufragia, Basiliscus, incendia. Signa Tauri, Leonis, & Arietis terræmotus; Canes æstum, tempestates, grandines &c. Vergiliæ, & Hyades diluuia; Hydra, Scorpius, Ophiucus &c. lues. atq. similiter ratiocinando de omnibus, & singulis, iuxta siderum naturam.

Simpliciter verò qualitates noxias affert maleficus, quando inuenitur solus, & liber à maleficio aliorum, atq. in domesticis naturæ suæ locis, & Saturnus quidem frigidas, Mars verò æstuantes: & in hoc habitu afferunt morbos consuetos, vt Saturnus febres quartanas, diuturnas, vel tabificas; Mars tertianas æstuantes, Erysipelata &c. huiusmodi. Quod si malefici vel supergrediantur, & eleuentur super beneficos, vel associentur cū fixis veneficis afferunt contagiosas Epidemias omnis generis. Fixæ veneficæ sunt, quæ imaginum veneratorum, quæq. naturam malefici, & parum Veneris habent.

Cæterum Epidemiales morbi, vt plurimum solent originem trahere ex morbosa affectione alicuius partis nobilis internæ viuentium. Hanc partem cognoscemus, non secus ac in natalibus, de quibus partim dictum, partim dicendum est: nam signa, Domus, & ipsi Planetę declarant, quę pars corporis futura sit subiecta læsioni; videantur quæ diximus in super. tom. ca 23.

Tempus initij futurorum accidentium in genere quidem, vt docet

docet Ptolemęus cognoscemus ex distantia luminaris obscurati ab ortu, & occasu: nam totus arcus diurnus metitur integrum Annum; igitur prò ratione distantiæ cognoscemus initiu effectuum: Duratione verò eorum; sol quidem quot horas ęquales absumit in Eclipsi, tot Annos, Luna verò tot mẽses ostendunt. Rursus pręcipua tempora vehemẽtioris effectus Ptolemęus venatur pari modo à situ Eclipsis in mundo itaquod ortus initiũ, Culmẽ mediũ, occasus finẽ totius durationis respiciãt i decernẽdo vehementiorẽ effectũ. Sed ego addo etiã ex lunationibus, & trãsitibus stellarũ super loca obnoxia, potissimè verò si tunc luminaria hostili radio lædantur à maleficis, & maximè stationarijs, vel retrocedentibus, vel futurorũ euentuũ authoribus.

In hoc loco non erit ab re discutere difficultatem, quam pleriq. docti viri obijciunt. Contingit, aiunt, cum naui submergi centenos homines eodem momento; rursus in bello cadere millenos interfectos. Non videtur autem verisimile omnium, & singulorum tunc aduenisse Directionum lethalium tempora: Nam in Magnis Vrbibus etiam quingentorum millium hominum, nunquam contingit eodem momento mori quinquaginta homines, nisi in Epidemijs. Quæ igitur in prædictis casibus dabitur causa? Resp. Quod vel sit causa vniuersalis, de quibus in præsentiarum loquimur: vel certè quod sidera congregant homogenea, & separant heterogenea suis statis temporibus: vna enim, & eadem Astrorum constitutio, maximè in lunationibus, mouet omnia quæcunq. inuenit habere similem, & sympathicam potentiam, cum non sit maior ratio vnius quam alterius. Nam data in pluribus hominibus simili constitutione, & quod eius tempus per Directionis motum aduenerit instans in omnibus, & singulis, quod non est impossibile: si reuolutio siderum vniuersalis mouet vnum ex ipsis, non est ratio disparitatis quare non moueat omnes: cum igitur moueat omnes, & pari modo, pari via, pari medio, vtique omnes illos homines in vnum congregat ad eundem effectum ituros: re ipsa conspicimus homines similes in moribus inuicem diligere, & sequi causa similitudinis constitutionis; à dissimilibus verò abhorrere, & separari, ob contrariam causam. at verò qui sicarijs exempli gratia, & latronibus se iungit, eorum sorti, & periculis se subiectum esse proculdubio suspicari debet, vt plerumq. contingit.

Ex

Ex hoc autem sequitur à natali vnius cuiuslibet de naui, vel de exercitu maximè ducis posse precognosci pericula omnium tam in bello, quam in nauigijs, & societatibus; quamuis re uera contingit aliquando nonnullos euadere, propterea quod eis plurimum faueant Astra benigna.

Rursus ex discessu nauis à portu, & militum ad bellum: nam horrendæ sunt, & omninò cauendæ siderum hostilitates in illis momentis; quamuis enim nō sint veræ causæ perditionis; attamen momenta illa cum sint crises quædam locales, & inceptiones motus ad modum ferè decubitus in ægris, indicant pari modo, & ratione sicut in ægris, & vt concausæ quæ postea futura sint accidentia in subsequentibus criticis momentis: atq. si attentè contemplemur, inueniemus quod naufragia, & militum casus nō contingēt nisi in diebus criticis. Hoc autem est secretum maximum verum, & vtile, atque sicut in superiori tractatu innuimus etiam in rebus ciuilibus peragendis, teste Galeno ibidem à nobis allato. Nam sæpius etiam ab exitu ad itinera præuidimus, quæ subsequuta sunt accidentia, imò & in exordijs rerum ciuilium.

Ptolemæus tandem in illo capite innuit qui nam homines subijciantur causis vniuersalibus, & succumbant.

In genere autem, ait ille, *vniuersalibus à malis corripiuntur ij quorum in genituris præcipua loca, nempe luminum, aut cardinum eadem fuerint cum illis à quibus vniuersalium casuum causa veniunt, idest Eclipticis ipsis, aut his oppositis. Sed in primis periculosæ, ac ineuitabiles sunt partiles occupationes, dimetienteſq. deliquiorum.*

Quibus igitur contingit habere moderatorem in loco Eclipsis, vel in loco per diametrum opposito, ij causis vniuersalibus nouerint se subiectos esse.

Vbi notandum quod non modo Eclipses super vitæ moderatorem obsunt; verum etiam malefici illi qui Eclipsibus præsunt: ait enim Ptolemæus *à quibus vniuersalium casuum causa veniunt:* nam causæ in Eclipsibus non modo sunt ipsa luminaria luce priuata, verum etiam dominantes in eis Planetæ. Quod si accidat permutatio luminarium cum maleficis horrenda est; vt si malefici Eclipsis maneant super moderatores natalis hominis, & è contra Eclipsis super maleficos natalis, formidabile est.

Con-

Contingit autem persæpe quod pleriq. homines potius felici fortuna per Eclipses, & vniuersales causas ditentur, cuius rei causa est commutatio siderum bonorum, & luminarium; vt si stellæ beneficæ Eclipsis maneant super moderatores natalis hominum; atq. è contra si beneficæ natalis super Eclipsim, & eius cardines præcedentem, & sequentem, gaudebit natus ille bonis ex vniuersalibus causis iuxta naturam loci permutati: vt si commutatio fiat Partis fortunæ nati gaudebit facultatibus, si Culminis magisterio, & administratione, si luminarium honoribus &c.

Quæ autem hic notauimus non modo valent in Eclipsibus ad vniuersales effectus super intergras prouincias: verumetiam obseruanda sunt in singulis nouilunijs, & pleniluniis pro singularibus accidentibus in vnoquoq. homine. Hoc enim est, quod vult Ptolemæus lib. 4. cap. fin. verbis illis *Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis significatur ab annuorum, & menstruorum signorum cum obnoxijs locis configuratione, & secundum ingressus astrorum, & solis, lunaque radiationes ad annua, & menstrua signa* hucusq. Ptolemæus intelligit de ingressibus, mox subdit de transitibus. *Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conuenienter illis configurantur pro re proposita bonum. Si inconuenienter, & præter conditionem, opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus malorum authores sunt &c.* vbi titulo inambulationum intelligit quotidianas lationes cunctis vniuersales, quibus transeunt super loca affecta natiuitatis: cum verò transitus contingant actiuo, & passiuo modo, vt in Celesti Phil. & in prim. Mob. diximus, hinc oritur mutua commutatio de qua loquimur, quæ nihil aliud est nisi inambulationes, siue transitus actiui, & passiui, qui si fiant inter beneficos, & moderatores, & de radio benigno felices effectus ad rē propositā producunt: si verò inter maleficos, & moderatores, atq. de radio hostili malorum, & destruitionis authores sunt: id quod dicebamus, atq. Ptolemæus docet. sed redeamus ad rem nostram.

In Eclipsibus cauendum, necessarium esse quod vmbra occupet saltem dimidium totius corporis luminaris, aliàs non cense-

ceuſcebitur Eclipſis conſpicua, & notabilem effectum productura, ſed initium quoddam tantummodo: & hoc eſt quod vult Ptolemæus lib. 2. cap. 5. verbis illis. *In copulationibus enim defectiuis Solis, & Lunæ præſertim euidentibus*; non enim cenſentur euidentes niſi vmbra ſaltem dimidium corporis luminaris occupet, &c.

Remanet nunc vt contemplemur aliquot Exempla, & aſſumemus noſtri temporis, quia notiora.

Anno 1654. die 12. Auguſti accidit ſolis labor, & quamuis non totalis attamen tres, e quatuor partibus diſci ſolaris vmbra texit; locus ſub ſigno Leonis in Culmine iuxta Cor Hydræ inter coniunctionem Martis, & Saturni, nullo inibi radio affulgente Iouis, qui regrediebatur in Piſcibus apud quintam domum. Venus in 9. domo ſub Parallelo coſmico Saturni: ſignum Leonis reſpiciebat Italiam, cui præeſt: hinc Aſtronomicarum rerum profeſſor prædixit fore venturum in Italia contagium, & bellum; quoniam Mars orientalis luſtrabat ſupremum cardinem præcedentem ad Eclipſim; & Saturnus ſuccedebat cum eadem ferè declinatione: quæ cuncta an ſubſequuta fuerint nemo ignorat.

Eclipſis durauit horis tribus, & viſa eſt in ſummo cardine: quapropter effectus oſtendebantur incepturi poſt 4. menſes, & producturi ad tres Annos, atq. pleniores in medio totius durationis tempore, iuxta vniuerſam Ptolemęi doctrinam. Et de lue quidem, quæ Neapolim, Romam, & Ianuam inuaſit, tempora varia non nihil apparuere, neq. conſtat de pręciſis diebus: ſimiliter, & de bello Inſubriæ: hoc tamen vnum certum eſt, quod poſt multam per Inſubriam populationem, ad Ticinum appoſita eſt obſidio die 25. Iulij 1655. videlicet poſt pleniluniumı, quod cum diametro Martis ad Solem, qui Mars retrocedens Lunæ iunctus erat, & cum quadrato Iouis, qui in eodem cum Saturno manebat Parallelo, præceſſerat die 18. eiuſdem menſis, Tandemq. tum inibi bella, tum lues per totam Italiam extincta ſunt Anno 1658.

Notandum verò quod è Neapoli relatum fuit, nimirum interfectos lue, & exenteratos, Iecur habuiſſe nigris maculis confertum: cenſeo autem quia Eclipſis, & Saturnus eleuati progrediebantur ſuper Venerem, quæ Iecori præſtet, in 9. domo

mo

no cadentem, sub eorum parallelo cosmico: tum quia Eclipsis apparuit in signo Leonis quod præcordijs dominatur, tum demum quia in Culmin:, qui locus item præcordijs, iuxta nostram sententiam in superiori tomo expositam, præest.

Anno 1656. die 11. Ianuarij accidit Lunæ deliquium in gr. 22. signi Cancri, quod mahumetanas prouincias intuetur, & præsertim maritima loca; cumq. Mars triangulator maneret in propria domo cardinalis apud occasum inter parallelum Saturni, & coniunctionem Iouis, atq. in quadrato cosmico Eclipsis, indicabat bella: erat quoq. Luna inter vtrumq. Cancrum, quo violentum effectum indicabat. Et ecce tibi post 4. menses iuxta situm Eclipsis Lunæ in mundo, lustrabat enim 11. domum, accidit ingens bellum nauale inter Venetam classem, & Turcas in mari Ægæo, vbi Veneta manus triumphans vidit excidium totius classis Turcarum, atq. duas nobilissimas Insulas occupauit in ore aditus Bizantij. Et quidem signum Cancri re vera non intuetur Italiam; attamen quoad ea, quæ pertinent ad Elementorum, & temporum transmutationem, non requiritur hæc conditio; sed quandocunq. & vbicunq. acciderit videri Eclipses luminarium timendę sunt semper in omni loco in quo apparuerit Eclipsis, aeris, & elementorum inæqualitates, & agitationes. Quare apud nos subsequuta est in vere nimia humiditas, tum imbres, & nebulæ, quæ vniuersis agris grauiter obfuere, sicut fuerat prædictum.

Sed videamus tempora: dixi, quod post 4. menses ostendebantur effectus à situ Eclipsis in mundo, idest ab 11. domo; cumq. obscuratio producta fuerit ad tres horas, effectus decernebantur occupaturi nihil minus quam tres menses; vehemétiores verò circa medium totius spatij durationis; quoniam Luna non longè appropinquabat ad supremum cardiné. Igitur die 26. Iunij quando Mars vna cum Mercurio positus est super locum Eclipsis, & Sol peruenit ad gr. 5. signi Cancri ad exquisitum videlicet quadratum loci Martis Eclipsis; atq. Luna ad initium signi Virginis, quod fuit in cardine sequente, ibique offendit declinationem Saturni tum inde, tum à loco eiusdem in Eclipsi, erupit acerrimus Classium congressus. Cumq. Iuppiter inuentus esset à signo Tauri tunc habere sextilem ad locú eclipticum, more suo fauens legibus munditiæ honestatis,

æquitatis, veræq. pietatis; victoriam insignem Europeis, fauente primum, & maximè gratia Diuina, contulit: quod obseruatione dignum est. Tertium subiungamus exemplum, sed paucis.

Anno 1659. die 14. mensis Nouemb. visa est Solis Eclipsis digitorum 10. apud. 8. domum in gr. 22. signi Scorpionis descēdente cum luminaribus Antare, atq. alijs fixis frontis eiusdem imaginis: fuit Saturnus in centro occasus vna cum Mercurio. Prædictum fuerat post Annum futuras esse tempestates, & ventorum impetum in Mare, atq. fluuiorum exundationes. Anno sequente qui fuit 1660. sub initio mensis Nouemb. vbi potissimè cauendum fore admonebatur; quoniam contingebat nouilunium in Scorpione, vna cum vtraq. malefica, & Mercurio ventorum authore teste Ptolemæo lib. 2. cap. 8. circa diem 8. vel 9. in Occeano extra fretū herculeum è regione Lybiæ moti sunt venti potentissimi tempestatesq. horrendæ, quæ copiosas Classes miserrimè ibidem perdidit: tū in vniuerso Baltico Mari plures formidabiles, & repetitæ tempestates contigerunt per aliquot menses. Roma sub Tiberis vndis tam altè mersa est, vt non extet memoria hunc amnem illuc ascendisse.

Cæterum re vera signum Scorpij Mauritaneam, & Lybiam respicit; & Eclipsis Solis inibi totalis, & plena apparuerat. Quod si quis regrediatur ad respicienda superiora secula, inueniet Ptolemæi doctrinam haud fucatam, sed veram esse: si verò ad sequentia pergat poterit commodum haurire, & infelices effectus minuere, imò & prorsus euadere.

Absoluta à Ptolemæo doctrina de Eclipsibus ab Astrorū constitutionibus, subiungitur in cap. 9. lib. 2. obseruandos etiam esse in Eclipsibus colores, atq. tum ipsius corporis luminaris, tum virgularum, arearum &c. si quæ circum apparuerint: quę verò Ptolemæus habet de his plana sunt; certum autem est esse tantum signa impressionis in intermedio aere inuentę, sicut optimè docet Philosoph. in meteoris, è quibus propterea coniectare tantum licet aeris, & temporum proximè futuras qualitates. Tandem in eodem capite Ptolemæus perpendit noua phænomena sub quacunq. figura. & proprietate se se offerentia: de quibus non videtur spectare colores, quorum non meminit; attamen in dubium reuocare non licet, quod qualitates

tes effectuum eorum imitantur colores, quemadmodum cótingit ab Astris. In vniuersum autem docet per hæc verba. *Est enim harum natura effectio materiæ ac Mercurialis proprietatis, bellorum, æstus, turbolentiæ, & eorumque ista sequi consueuere*. Adeo quod noua phenomena cuiuscumq. coloris apparuerint hos huiusmodi effectus producere apta sint: etenim non ex alia materia constare videntur, nisi ex calida, & sicca exhalatione vt docet Philosophus in metheoris, alias eni nó ascenderent ad tantá eleuationem, vt etiam inter sidera fixa fuerit inuéta consistere, vt ex parallaxi obseruatum præ cæteris fuit de nouo sidere, quod in pede Serpentarij fulsit Anno 1604. quicquid sentiant Philosophi de soliditate cælestium orbium. Qua propter stante hac qualitatum natura, similes effectus sequi bellorum æstus turbulentiæ &c. consentaneũ est. Aristoteles in 1. meteo. sum. 2. cap. 4. dicit; Crinitas quod consequuntur Anni sicci, & spirituales, idest ventorum fecundi. Cum verò siccitas adaugeat bilem flauam, naturális ratio demonstrat quomodo sint veri quos tradit Ptolemæus Cometarũ effectus. Reliqua Ptol. verba huius capitis de se perspicua sunt, & iam alibi super textum satis diximus in prænotatione.

Cæterum si attentè spectemus, inueniemus in vniuersalibus effectibus indicationes, & crisces suis statis temporibus: & quoniã effectus chronicus est, videlicet ad menses, vel annos, in annuis apparebunt crises singulis tribus mensibus, iuxta solis motum per quartas Zodiaci, indicationes verò medio inter hos interuallo: in menstruis per hebdomadas iuxta motum lunæ per quartas Zodiaci: atq. grauiores inuenientur pro cómixtione maleficorũ cũ luminaribus, et lunationibus, maximè si lunationes contingant super loca maleficorum Eclipsium vel super locum Eclipsis, vel Cometæ: vel contra si tunc maleficæ peruenerint ad loca Eclipsis, & Comete, ibiq fiant stationariæ. Quod si accidat hæc mutua malorũ permutatio pessimum est: si verò accidat bonorum proderit ad salutem.

Non desunt hic preclari ingenio viri expetentes rationem, et causam dilationis temporum tam in Cometis, quam in Eclipsibus, atq. cur sol ad Annos, Luna ad menses prorogent suos effectus; tandem quare totus Arcus diurnus efficiat dilationem integri Anni &c:

Effectuum Cometarum tempora Ptolemæus colligit ab eorũ habitu erga Solem; nam si appareant matutinę statim suos effectus exhibent, si vespertinę serius. Quoniam verò in Cometis non contingit (quamuis contingere possit) accidens illud de quo diximus in Planetis, augumenti, & decrementi luminis; obseruare oportet quadrantes mundi alternos, vt dicemus, quos possident oriente Sole, vel occidente; nam ante ortum Solis in quadrante matutino paruam moram intermittunt inter suum, & Solis ortum; sicut si oriuntur ante Solis occasum, idest occidente Sole possideant quadrantem ab ortu ad Culmẽ, qui est orientalis. Cum verò à Sole & Luna pendeant potissimum omnes effectus, itaut sine concursu Solis, & Lunæ nullus effectus produci possit in rerum natura, atq. in angulis Horizontis Sol permutet conditionẽ temporis; sequitur vt in quadrantibus eois cito ostendant suos effectus, in occidentalibus tardius; maximè verò quia quadrantes orientales habent qualitates, & vires masculas, idest magis actiuas: occidentales verò fœminas segniores, & minus actiuas. Si verò, ait Ptolemæus, diu fulserint diutius producunt eosdem effectus, & si quis velit perquirere durationis eorum tempora: si Cometa fuerit ingens, & luce intensa micans, itaut æmuletur Solem, dies vel horę poterũt innuere Annos: si verò extensione & intẽsione tenues ad similitudinẽ Lunæ indicabunt menses, vel dies;

Eclipses incipiunt proculdubio influere statim, causa nouitatis illius, videlicet priuationis lucis luminaris, verum non producunt actualem effectum, sed tantummodo, sicut optimè ratiocinatur Pater D. Fulgentius Orighetus, intromittunt preuias dispositiones. Quoniam enim initium agendi siderum in nostro hemisphæro fit in puncto ortus eorum, prout sępius docet Ptol. qui ait sidera in oriente decernere suos effectus ex tẽplo, in occidente autem sero; & luminare, quod Eclipsim patitur in loco ab ortu distante, cum iam inceppisset micantè luce ab ortu influere, non ostendit continuo actuales effectus suę obscurationis; sed prius exibet eos effectus actuales pendẽtes ab illuminatione, & influxu, qui intercedit inter punctum ortus, & locum Eclipsis, nimirum iuxta consuetum morem, nihil innouando; cum verò peruenerit ad tempus, quod respondet distantiæ ab ortu, tunc exprimit actuales effectus suæ

obscu-

obscurationis, quorum iam præmiserat dispositiones, & semi nalem potentiam.

Sciendum hic est quod influxus præsens astrorum, simul ac semel ob magnam fœcunditatem, duplicem habere solet effectum, vnum actualem, alterum potentialem, qui in ipso actuali inhæret: vt exempli gratia semen quodcumq. est ens actu, & est effectus actualis, habet tamen in se potentiam, & virtutem exhibendi vlteriorem, & perfectiorem effectum: sic Astra influendo, & producendo actualem effectum, in ipso inserunt potentiam seminalem ad perfectiorem, & notabiliorem effectum. vt producunt mala, et segetes in alimonia, & in ipsis inserunt virtutem & potentiam seminalem producendi rursus nouos pomorum arbores, nouasq. segetes: item in infanti ab ex ordio natalis influunt actualem vitam per diurnos circuitus, quibus ijsdem circuitibus diurnis inferunt potentiam seminalem ad annuos vnde finit ratio & principium motus Directionis &c. prout alibi latius diximus.

Quoniam verò præuiæ dispositiones non possunt introduci nisi cum spatio temporis, hinc patet causa dilationis actualium effectuum Eclipsium, quæ contingunt in distantia ab ortu. Eclipses, vt docet Ptolemæus causæ sunt notabilis alterationis temporum, idest Elementorum, vt imbrium, caloris, siccitatis &c. cum quibus eas qualitates inferunt quæ præuiæ fiunt ad effectus actua es Eclipsium, qui propterea moram aliquam ducunt; atq. tantam pro ratione distantiæ.

Quare autem totus arcus diurnus significet & metiatur integrum annum, ratio est. Modus agendi præ omnibus potentissimus Solis, & Lunæ consistit in eorum spatio illuminandi, & lucendi in nostro hemisphærio; vnde luminaria vocata sunt, & ius téporis adepta: quare initiũ huiusmodi agédi iure optimo initium Anni demonstrat, finis finẽ, ita ut totus totum Annum.

At verò ratio cur Sol Annos, Luna menses decernat perspicua est: Sol enim spatio vnius Anni totum lustrat Zodiacum, Luna mensis.

Tandem quare tempus vnius horæ demonstret, & metiatur hos luminarium circuitus &c. Proportionales partes in quas diuisa est integra latio diei horar. 24. sunt 12. Domus, sicut signa 12. Zodiaci in qua diuisione apparent omnes proportio-

nales, & efficaces distantiæ radiorum. Hanc eamdem diuisionem efficit Luna suis menstruis circuitibus, vna cum Sole. Cum verò in hoc proposito assumamus tantum medietatem totius diei circuitus, nimirum eam partem, in quâ nobis lucent luminaria, rationi consentaneum est, quod ad ostendendos hos luminarium circuitus annuum in Sole, menstruum in Luna, sumamus medietatem vnius Domus & vnius signi: proportiones enim semper respondere debent ad totum, idest ad maiorem quantitatem maiores; ad minorem minores, quare ad semissem semissis.

Postremo vehementiores effectuum vires in toto eorum spatio contingere pro ratione distantiæ ab ortu, & occasu; ratio eadem. Nam in ortu effectus decernuntur statim, ergo etiam eorum maior intensio; in occasu sero, ergo etiam vehementior eorum vis. Hæc autem valet etiam in effectibus singulorum hominum.

Quoniam verò in hoc capite agimus de causis vniuersalibus vniuersalium effectuum: non erit ab re, rationem afferre, quare magnæ, & maximæ coniunctiones ingentes efficiant mutationes in terra; id quod docuit res ipsa, & ita experti professores maximè antiqui ad nos transmisserunt huiusmodi doctrinam.

Saturnus, & Iupiter sunt duo Planetæ omnibus superiores, motu tardiores masculinæ & actiuæ virtutis; præsunt elementis nobis propinquioribus, & ad vsum commodioribus, inter se tamen dissimbolicis, Saturnus Terræ, Iuppiter Aeri. Cùm verò coniunctio sit prima, & cæteris potentior familiaritas, in qua nouæ incipiunt generationes, proculdubio sequitur quod côiunctio horum duorum Planetarum causa sit mutationis veterum rerum, & generationis nouarũ, quæ diuturnam durationem sint habituræ, & maximè quo ad ea quæ actiuam qualitatem habēt, vt quoad mores, leges, ingenia, regimina, alimēta, annonam terræ fecunditatem, vel sterilitatem, negotia, valetudinem &c.

CAP.

CAP. II.

Quæ differentia inter influxum vniuersalem, & particularem; & inter constitutionem status, & eam, quæ natalis.

PTolemæus in primo capite lib. 3. asserit, quod ea Astrologiæ pars, quę vniuersaliũ effectuũ inuestigat causas, præcedit secundum naturam aliam partem, quę particulares effectus requirit in singulis hominibus, quam vocat genethliacam, quoniam à natalis constitutione dependet; præcedit verò secundum naturam illa vniuersalis, quia potentior est.

Vbi notandum, quod sidera re vera semper sũt causę vniuersales; veruntamen eorum hæc virtus vniuersalis vel producit simul ac semel vniuersalem quendam effectum in tota prouincia, vt vel bellum, vel Epidemiam, vel caritatem, vel quid aliud huiusmodi; Vel producit singularem effectum in aliquibus indiuiduis hominibus vt in hoc febrim, in alio Epilesiam &c. Et ad singulares quidem effectus in induiduis producendos, requiritur in ipsis potentia proxima specifica præexistens præordinata ex propria constitutione etiam ad definitum tempus. & ad talem in specie effectum: Ad vniuersales verò effectus nõ est opus quod in indiuiduis præexistat hæc potentia specifica, sed satis est vniuersalis, & remotior, quæ præordinatur per Eclipses, & Cometas; exit verò ad actum postea tempore definito per distantiam Eclipsis ab ortu, & occasu &c. vt iam in superiori cap. diximus. Cæterum hi homines, & non illi succumbunt ratione consensus locorum vniuersalium causarum, & natalium: id quod etiam cõtingit in singularibus effectibus, quorum causa cælestis semper rę vera est vniuersalis, sed non operatur effectus in tota prouincia, quoniam in ea non adest semper potentia vniuersalis.

Quod vt plenè intelligatur, exempli gratia Eclipses solent intromittere in aliquam prouinciam vehementem corruptionem, & putredinem vel super aquas, vel super aerem, vel super alimonias, qua data vniuersali qualitate putrescente, afficiuntur ea vsu, & contactu singulares homines. In effectibus verò particularibus non solent affici aer, aqua, vel alimoniæ,

scil-

ſcilicet potenti admodum qualitate; ſed afficiuntur fortaſſe leui, vt ex nebulis, manna, vel alia noxia, quam leuem affectionem, & qualitatem facile ſuſcipiunt ſingulares homines, data in eis præexiſtente, & prærdinata potentia proxima. Videtur igitur quod differentia inter vniuerſales, & particulares effectus aliquando poſſit eſſe magni & parui: quod enim ingens eſt deſtruit quodammodo violenter quodcumq. reperit; quod verò paruum, afficit tantum ea, quæ potentiam habet ad talem effectũ, quod ſi nõ habeant talem potentiam proximam, nihil patiuntur; vt exempli gratia magnus ignis abſumit ligna quæq. lapides, imò & ferrum, paruus verò ignis tantum ligna, & quæ ſicca eo citius, quæ viridia vel madefacta tardius.

Ex his autem conſtat quomdo verum ſit quod ſæpe aſſerit Ptolemęus vniuerſales cauſas valentiores eſſe quam particulares, quamuis cæleſtes cauſæ ſemper vniuerſales ſint; & quomodo ſi ſemper vniuerſales, attamen particulares tantum effectus producant.

Quæcunque verò accidunt ſingulis hominibus habent vnum exordium, atq. etiam plura. dicit Ptolemæus in allegato cap. 1. nam vnum eſt validiſſimum, momentum videlicet natalis, plura verò & natalis, & fatus, cum hac differentia quod conſtitutio fatus pertinet ad conceptionem, & generationem ſeminis, atq. ad ea quæ ſpectant ad perficiendum, & complendum fœtum in vterò: natalis verò ad generationem hominis. Satus enim conſtitutio valet ad temperamentum corporis, ad ſexum, ad conformitatem, vel deformitatem membrorum &c. nam nec ſexus qualitas, nec membrorum proportio, nec monſtroſa ſpecies, neque gemelli pendere poſſunt tanquam à cauſa, quæ primo loco influit, à natali conſtitutione, quia hæc poſterior eſt; vt ſapientiſſimè loquitur Ptolemęus, & præ cæteris in cap. de monſtruis *id quod naſcitur*, ait, *contortum, & inuolutum eſſe ſignificatur*. Attamen re vera natalis licet ſit ſignum prædictorum effectuum, eſt ſimul etiam cauſa, ratione complementi; & maturitatis ipſius fœtus. Natalis enim eſt Criſis notabilis, & validiſſima tum ratione ingentis effectus, tum coctionis, tum quia fœtus nunquam potitur diuturnitate vitæ, niſi oriatur in menſe, in quo ſol tangit

aliquem

aliquem radium ad suum locum satus, vt vel in mense septimo, vbi tangit oppositionem vel in nono, vbi trigonum, vel in decimo, vbi quadratum, vel in vndecimo, vbi sextilem: in octauo verò, in quo nullum habet radium, & nulla in eo fit perfectio coctionis, atq. nulla Crisis, si quis oriatur non superuiuit: iam autem in alio tractatu demonstrauimus Crises pendere non nisi à radijs luminarium.

Hic verò notandum est, quod sidera agunt semper modo successiuo, prout successiuè mouentur, quo motu producunt quatuor primas qualitates; vt alibi ex professo diximus; at vero in hoc motu, & agendi successione perueniunt ad efficaces familiaritates, quæ nihil aliud sunt nisi proportionales distantiæ, proportio autem relatio quædam est, & relatiuorum eadē disciplina. Crises igitur quoniam non contingunt nisi in proportionalibus distantijs, cum habeant relationem ad suum initium similes semper sunt, & imitantur illud: vnde optimè subdit Ptolemus *Semen enim in initio, cum pro ratione circumfusi cæli suam qualitatem semen induit, licet succedētibus temporibus corporatura diuersa fiat, cum tamen propriam tantum materiam natura augescendo sibi conciliat magis imitatur primum illum statum suum, & peculiarem, priusq. impressam conformationem*, per totum ergo tempus moræ fœtus in vtero astra agendo circa perfectionem eius, semper imitantur primum illud initium, & imitantur vsq. ad complementum, & perfectionem, idest vsq. ad momentum natalis. Vides igitur quomodo Ptolemæus loquatur iuxta veræ Philosophiæ principia.

Cumq. natalis non modo sit Crisis, quæ causa perfectæ, & absolutæ coctionis, & maturitatis erumpit; verum etiam sit ortus ad hanc lucem, & separatio tanquam effectus ab influxu suæ causæ proximæ, & immediatæ, quæ est mater, euadit initium validissimum eorum effectuum, qui deinde nato superueniunt: nam re vera vt profitetur Ptolemæus in allegato cap. satus causa est eorum effectuum, qui contingunt ante partum, natalis verò qui postea.

Quapropter vbi momentum sationis nouerimus, possumus inde colligere ea, quę ad corpus fingendum pertinent: alias natalis manifestat tanquam causa ea, quæ sequuntur, & etiam

tanquam causa criticæ motionis, & coctionis, accidentia, quę vna emergunt ad lucem, imò & quæ præcesserunt.

CAP. III.

De parte Horoscopi.


Voniam, ait Ptolemæus, Horologia siue Solaria, siue aquea, siue quomodolibet aliter constructa patiuntur varietatem pluribus de causis, vt solaria ob gnomonum peruersionem, aquea per obstructionem &c. contingit sæpenumero nos non posse cognoscere verum momentum natalis; ipsemet Ptolemæus ingeniosa admodum inuentione excogitauit modum ipsi naturæ optimè congruentem, qui talis est.

Cognouerat Ptolemæus, vt sæpius profitetur, quod rerum generationes & corruptiones dependent à nouilunijs, & plenilunijs, vt & ratione, & exemplis, atq. Galeni auctoritate demonstrauimus in superiori parte: itaquod ille planeta, qui prædominatur in illis momentis semper concurrat ad rerum procreationem, vel interitum: foret ut ipse Planeta prædominans inueniatur semper efficacem habere radium in mundo ad cardines momento scilicet ortus, & interitus rerum. Quod si quis obseruet in temporum mutationibus maximè subitaneis, vel grandinum, vel pluuiarum, vel ventorum, vel cuiuscunq. alterius extemplo erumpentis effectus, vt terræmotus, tempestatum maris &c. similium; inueniet quod prædominator præuentionis, idest præcedentis nouilunij, vel plenilunij, ponitur vel in centro alicuius cardinis, vel eius radio.

Notandum verò est quod cum fętus peruenerit ad suam perfectionem, & maturitatem quodcumque sit siue perfectum & proportionatum in forma suæ speciei, siue monstrosum, & deforme; hoc enim nihil refert, quin ad maturitatem deuenerit: cumq. ad exitum in hanc lucem, & separationem à sua causa immediata quam proximè consistat, itaut per minutum scrupulum tantummodo deficiat, planeta prædominans cum impleat Horizontem suis qualitatibus, vbi attingit efficacem radium in mundo, vt diximus; impellit quodammodo ipsum fętum, iam penè labentem, ad exitum. Et hæc est ratio, & fundamentum huius capitis Ptolemæi.

Primò

Primò igitur obseruandum est an Genesim præcedat nouilunium, an verò pleniluniun, si primum videndum quis planeta maiorem auctoritatem inibi obtineat ratione scilicet domus, exaltationis, triplicitatis, finium, & maximè omnium ratione familiaritatis. Si verò præcedat Pleniluniun, respicere oportet an Sol an verò Luna momento plenilunij supra terram inueniatur: eius igitur, qui supra terram fuerit; nā enim luminare conditionis temporis, & propterea validioris roboris, locus perpendatur, & pari modo quis planeta ibidem dominetur: quod si præcedat plenilunium existentibus luminaribus in cardinibus Horizontis locus Solis consulendus est.

2 Obseruare oportet in figura natalis an ipse planeta prædominans ponatur in aliqua configuratione ad aliquem cardinem quemcunq. Configurationes verò accipiendæ sunt omnes, videlicet Synodus, Sextilis, Quintilis, Quadratus, Trigonus, Sesquiquadratus, Biquintilis, & Oppositio: etenim si ponatur in vna harum configurationum ad vnum Cardinum quemcunq. & exquisitè, figura censenda est vera, & naturalis; alias permutanda est pro ratione maioris propinquitatis &c.

3 Obseruandum ex Ptolemæo, quod si duo pluresq. planetæ pari ferè virtutis robore dominantur in nouilunio, vel plenil. ille præ cæteris ad hāc rem assumatur, qui propinquior inuenitur vt habeat configurationem ad vnum cardinum, & collocetur adeò vt ad vnguem ipsum cardinem respiciat.

4 Tandem si dominator ille lateat sub Solis radijs ipse Sol vices eius gerit; Sol enim induit eius qualitates, & qui latet nullus habet vires, vt docet Ptolemæus lib. 3. cap. de moderanda vita, *Omnino*, ait, *earum, quæ radijs obrutæ sunt nullam accipere conuenit nec ad interficiendi, nec ad commodandi operam, nisi quod ipse quoque Solis locus interficit, quando malefici alicuius congressu oppressus, à beneficorum nemine iuuatur, aut liberatur.*

Et sanè profectò hæc methodus diuersa est, & dissentit à cōmuni, vulgata, & in vsum accepta professorum sententia: nam communiter sumunt radios in Zodiaco, imò ipsi vtuntur gradibus Zodiaci, non radijs; quod longè minus est & ipse fateor non intelligere, qua ratione id efficiant, nisi dicant Dodeca-

temorium esse radium. Sed quoniam nos radios ad cardines in Zodiaco sumptos optimis rationibus alibi expositis reijcimus, vt omninò inanes, & inefficaces; sumimus verò radios à Domibus pro ratione quantitatis arcus diurni, vel noturni: ideo hæc nostra methodus videtur magis consentanea rationi; præsertim verò contra eos, qui ponunt in vno cardinum gradus dominantis planetæ, quamuis hic planeta cardinem illum nullo respiciat radio: quod sanè nullam videtur præseferre rationem. Si quis verò constanter affirmet radios ad cardines sumendos esse in Zodiaco, videat quæ diximus in nostra cœlesti Philos.lib.2.

CAP. IV,

Diuisio præcipiendorum.



Tolemæus acturus de singulis rerum naturalium humanæ vitæ capitibus in 3. & 4. libro, cum optimè cognosceret, vt iam asseruerat, initio 3. lib. cuius verba supra retulimus, quod eadem omninò sit in Astris actiua virtus ad omnia quæcunq. & siue sit vniuersalis super ciuitates, & prouincias, siue particularis super singula indiuidua, & siue etiam ad omnia, & singula rerum capita; itaut & siderum virtus eadem sit, & nobis contẽplandi methodus omninò eadem, quamuis causa diuersorum in Astris accidentium admittant varietatem, vnde diuersi in specie oriuntur effectus: Ptolemæus inquam acturus de singulis rerum humanarum generibus præmittit hunc titulum *Diuisio præcipiendorum*, quem nos quoque in præsentiarum accipimus, nullo latere ab eius ordine, & verborum sensu discessuri.

In hoc igitur capite Ptolemæus diuidit, & ordinat doctrinam, quam exhibere profitetur; & ostendit vnam, & eamdem esse semper in cunctis rerum generibus, & capitibus; quo pateat disciplinam hanc inter veras scientias enumerari iure optimo, & collocari dignam esse, quippequæ ijsdem semper firmis atque immobilibus inhæret principijs, & fundamentis.

Dicit verò primum diuidendo accidentia, quæ singulis hominibus contingunt, non nulla præcedere, vt quæ ad parentes pertinent, quædam verò & præcedere, & sequi, vt quæ de fra-

tribus, & fororibus requiruntur: alia circa ipsam genituram versari, scilicet quę circa ipsum fætū sunt, vt sexus, conformitas membrorum &c. alia tandem sequi quæ in vitæ decursu contingant, vt est maximè de morbis, & vitæ spatio: vbi Ptolemęus distinguit ab ijs, qui priusquā nutriātur extinguūtur; quoniam profectò ratio omninò diuersa, vt suis locis dicemus.

Cumq. fere sub indice singula capita recenseat, pollicetur de omnibus, iuxta efficaces Astrorum vires, idest de veris caussis efficientibus se fore loquuturum, & nequaquam per sortes, & numeros, quos inter nugas reijcit, & damnat.

Ad methodum tandem vniuersalis doctrinæ descendens hæc profert verba. *Sane in vniuersum ne in singulis capitibus idem dicamus.* Quibus declarat vnam, & eamdem esse semper in omnibus, & singulis capitibus doctrinam, cuius nescij qui de astrologicis rebus commentitia, & aphoristica præcepta immensis penè voluminibus iactant huc illucue per inania, & impropria longè lateq. vagantes, præclaram hanc disciplinam non modo turpibus maculis deturpant; verum, & immensis præceptorum, appendicum, cautelarum, exceptionum, imò & additionum molibus ab humano studio speliunt.

Vna, & eadem sanè ratio in omnibus, & singulis capitibus, quæ consistit in affectione loci, qui ad rem quæsitam pertinet.

Hinc patet solutio difficultatis circa præcipua capita huius scientiæ, vt de vitæ diuturnitate, de satillitio, de genere obitus &c. de quibus quæ, & quanta scripserint Authores, nemo est qui videre non possit; cum tamen eadem sit doctrina in omnibus, eaq. simplex, & absoluta, vtue talis à Ptolemæo paucis verbis expressa, & nullo alio modo se habet, nisi secundum principia, & causas veræ Philosophiæ, vt patebit.

Sequitur Ptol. *Primum quidem opportet inuestigare locum Signiferi familiaritate coniunctum generi quæstionis.* Vult inferre Ptolemæus quod in omni noua generatione, & cuius vis rei productione inuestiganda, primò ponendum sit subiectum patiens proprium, & familiare rei quæsitæ, quod actionem causæ efficientis in se recipiat, alias non potest produci effectus aliquis: Quæ autem stant pro subiecto sunt quinq. Sol, Luna, Horoscopus regionis, Horoscopus lunaris, seu Pars Fortunæ, atq. Culmen, qui vocantur moderatores, Significa-

tores

tores &c. & ad hos tanquam ad principium materiale referũtur quęcunq. naturalia sunt in humana vita; & cum sint subiectum nullam habent iunctam secum qualitatem ad bonum. vel malum: vt exempli gratia Sol producit calorem vitalem in genere in omnibus animantibus, & tam in homine, quam in Vipera &c.

Deinde contemplari opus est Stellas, quæ dominij ius exercendi in hæc loca habent secundum eos, quos prædiximus quinq. modos. Causas nunc efficientes qualitate prædītas obseruandas esse docet: cum enim sint quatuor, Saturnus Iuppiter, Mars, & Venus, & potest etiam addi Mercurius prout isti se habent ad moderatores illos afficiunt suis qualitatibus, suntq. causæ generationis, vel destrutionis, siue dicamus boni, vel mali in re significata; & isti vocantur promissores: itaut nihil aliud inquirendum sit, nisi dominium horum quatuor planetarum erga moderatorem cuiuscunq. generis. Ex quo patet quam inepte decipiantur qui asserunt satellitium extendi ad 30. gradus tum præcedentes, tum sequentes, vel quomodolibet aliter (nam diuersimodè loquuntur pro capitum diuersitate Authores de hac re) cum tamen nisi planetæ familiares sint luminaribus intra sphæram suæ actiuitatis, quæ Iouis est gr. 12. Veneris 8. &c. nullo modo afficere ea possint suis qualitatibus pro re quæsita, neq. ius dominij ad bonum, vel malum in eadem exercere.

Et ratio potest esse, vt reor, quia ius imperandi, magisterium, & ars quædam est, quæ ratione præstantiæ nulli planetarum, nisi ipsis luminaribus debetur: ideoq. opus est, vt ipsa luminaria inueniantrr in angulis, & in signis masculinis, nimirum ad efficaciam & promptitudinem agendarum rerum: atq. tandem qualitatibus beneficorum valentium, vtpote angularium, & orientalium imbuta: Cæterum luminaria non accipiunt qualitatẽ planetarum nisi ex familiaritate intra spherã actiuitatis eorumdem. Quod si magis distent nihil penitus afficiuntur luminaria: quare falsum est satellitum ad 30. gradus extendi, quò nullius Astri sphæra actiuitatis producitur.

Hic verò notandum est quod cum sint quinq. modi iuris dominij Planetarum vt docet Ptolemæus sæpissimè, videlicet Domus, Exaltatio, Triplicitas, termini, & familiaritas, hæc

vltima

vltima omnium rubustissima est ad afficiēdum, maximè si agatur de satellitio: nam exempli gratia quoad qualitates animi si Luna, cui referuntur, nullam habeat cum aliquo familiaritatem, quod sæpe accidit, tunc qui dominium exercet iuxta pręscriptas dignitates, qualitates animi efformat, quoniā fieri nō potest, vt animus nullas qualitates habeat: potest tamen fieri, vt homo nullum munus obeat: Verum tamen est quod leniores secundum gradum intensionis emergunt animi qualitates ex dignitatibus Planetarum, robustiores, & intensiores ex familiaritate, & ex vtrisq. ad huc magis euidentes, & eò amplius si pluri familiaritate; & specie, & genere, vt sæpe accidit. Ad Satellitium ergo quatuor modi iuris dignitatum nihil valét, sed associatio, siue familiaritas, vnde Satillites vocat Ptolemęus planetas ad Luminaria femiliares.

Similiter de genere obitus Ptolemęus proponit planetas, qui in loco moderatoris vitæ, tum etiam in loco occursus conueniunt suis radijs; ad quid igitur valent signa violenta, vel non violenta, vel maleficæ in domo 8. simpliciter inuentę, atq. plura huiusmodi cōmentitia, vt pleriq. ab re censent? Horum non meminit Ptolemæus, sed de hoc cap. latius infra.

Deinde Ptolemæus docet rationem cognoscendi qualitatem rerum futurarum *Post hæc verò* ait, *vt quale tandem futurū sit, quod decernitur, coniectemus, videre & naturas ipsorum dominorum, & Signorum in quibus ipsi, præcipuaq. loca reperiuntur*. Præcipuorum locorum titulo intelligit moderatores. Primò igitur & principaliter dependet à natura dominantium planetarum maximè verò intuentium. 2. ex natura radiorum; nam radij nostiles infortunarum destrutionem & malum pariunt; benigni verò fortunarum felices effectus. 3. ex natura situs in mundo, & significat one 12. domorum, de quibus licet Ptolemæus non tradat plenam doctrinam, passim tamen meminit aliquarum; vndę verisimile est, quod non reijciat communem professorum, & antiquorum tradita circa eorum significata. 4. pro natura Signorum, plurimum enim valent signa ad speciem effectuum declarandam; & sæpe Ptolemæus declarat significata Signorum iuxta eorum proprietatem, vt quia vel mobilia, vel fixa, vel communia, vel quadrupeda, vel terrestria, vel aerea, vel ducalia, vel fæcunda, vel sterilia &c.

5. pro

5. pro natura finium, etiam in loco occursus, quorum etiam sæpe meminit, vt cap. de vita, & cap. de temp. diuisione. 6. pro natura fixarum vbicunq. existentium. 7. tandem pro natura planetarum, qui in loco occursus concurrunt suis radijs vel præcedentibus, vel sequentibus: cuncta hæc, & singulis accuratè spectanda sunt ad effectuum in specie declarandam qualitatem.

Adhæc subdit Ptolemæus inuestigare rationem magnitudinis decretorum; *ad quam spectare* ait. *vtrum sint valentes tam secundum mundi, quam genituræ statum, an è contra. Validissimi quidem sunt pro mundi situ cum in domesticis, aut etiam in proprijs sunt locis, & rursus cũ orientales sunt auctiq. numeris, Pro genitura verò situ cum in angulis, aut succedentibus locis dispatiantur, maximè primis, dico autem ortus, medijq. cæli loca.* Loca propria sunt sui dignitates; domestica similium, & eiusdem sectæ. Titulo aucti numero, intelligit simpliciter directos, idest, non retrocedentes, quod si motus eorum in dies non fiat velocior nihil refert: hoc quod in sequentibus declarat dicens. *Imbecillissimi verò iuxta mundi situm, quando in alienis locis, siue non domesticis, & occidentales, aut retrogradi fuerint, sed pro genituræ statu cũ ab angulis cadunt.* Pro domesticis locis vult dignitates similium, vt Iuppiter in locis Veneris, & hæc in illius: Saturnus in locis Martis, & è contra: quod eiusdem sectæ alibi vocat. Quare loca aliena erunt si Iuppiter in locis Saturni, vel Martis &c. vbi, & Peregrini dicuntur: in quibus locis plurimum degenerãt à propria natura: sicut è contra virescunt in domesticis locis, eoq. magis in proprijs.

Tandem subdit Ptolemæus *de tempore decretorum in vniuersum cognoscendo, vtrum matutini sint, an vespertini, tam ad Solem, quam ad horoscopum comparati, quandoquidem antecedentes vtrumq. horum quadrantes, ijsq. oppositos matutinos dicimus reliquos verò sequentes vespertinos: nam matutini cum sunt aut in angulis constituti suam citius vim exerunt. &c.*

De esse Planetarum orientale, & occidentale, siue dicatur matutinum, & vespertinum erga Solem, cum iamdudum va-

rias

varias apud diuersos Auctores legissem doctrinas, & opiniones, cogitaui, quod Planetæ sint orientales in toto spatio augmenti suæ lucis, idest in semicirculo Epicycli ab Apogæo vsq. Perigæum; vbi quoniam descendunt appropinquantes ad nos apparent semper maiores (quamuis Venus & Mercurius tandem minuuntur vsq. ad plenam coniunctionem ad nos partis obscuræ) ideoq. maiorem virtutem actiuam in eo semicirculo nanciscuntur, occidentales verò sint in toto decremento, idest à Perigæo vsq. ad Apogæum ob contrariam rationem putaui. Nouissimè inuenio quod Ptolemæus in pluribus locis constituit quatuor quadrantes, & antecedentem & ei oppositum vocat orientales, matutinos, & masculos; reliquos duos occidentales vespertinos, & fæmininos: censeo ego ex alterno influendi modo; quod à ratione Aristotelis, quam alibi attuli non discrepat.

Et quidem quadrãtes distingui natura, & proprietatibus hoc alterno ordine rationi consentaneum est; attamen etiam certum, & verum quod per totum vnum semicirculum simili modo influunt planetæ, cum discrimine tamen quod à medio semicirculi coniungunt, & miscent alium modum influendi.

Notandum igitur est, quod sicut inter 4. prima corpora vocata Elementa bina sunt symbolica, quia in vna qualitate conueniunt, vt Aer, & Aqua in humiditate. Aer & Ignis in calore, Ignis & Terra in siccitate, Terra, & Aqua in frigiditate: ita similiter modi influendi siderum quatuor sunt, vt alibi ex Philosopho retulimus, accessus ad nos, & prope esse; recessus & prope esse; recessus & longè manere; accessus, & longe esse. Cumq. ex his quatuor differentijs emanent quatuor primæ qualitates binæ semper coniungatæ, hinc fit quod licet Planeta in descensu ab Apogæo augeat suam actionem producendo vnam qualitatem ab initio vsq. ad medium, coniungit tamen aliam iam prius inchoatam, & à medio vsq. ad finem aliam nouam assumit, vt habemus expressè apud Ptol. li. 1. cap. 7. Vnde constat quod quadrantes distinguendi sint alternatim, vt dictum est.

In Saturno, Ioue, Marte, & Luna methodus & ordo quadrantum circa Solem facilis est, & habetur apud Ptol. loco cit. Sed in Venere, & Mercurio emergit difficultas, quia hi duo

 non

non descendunt à Sole per totum circuitum Zodiaci, sed tantum per aliquam partem. Verum si Ptolemæi rationem attentè contemplemur, sequitur, quod eorum quadrantes erga Solem obseruandi sint in suis Epicyclis, quemadmodum re vera etiam de tribus superioribus obseruantur in eorum Epicyclis. Luna verò constituit quadrantes pro varietate quantitatis suæ lucis. Venus igitur, & Mercurius à Superiori parte Epicycli, vbi iunguntur cum Sole directi, vsq. ad primam stationem producunt humiditatem potissimè, nimirum in apparitione eliaca vespertina, & ibi statuunt quadrantem orientalem, quoniã re vera oriuntur & à Solis radijs exeuntes apparent nobis: à prima statione vsq. ad medium regressum, idest vsquequo iungantur cum Sole retrogradi, efficiunt calorem, & quadrantem occidentalem: inde ad secundam stationem efficiunt siccitatẽ, & quadrantem orientalem: inde ad congressum vsq. cum Sole, frigiditatem, & quadrantem occidentalem. Hæc omnia iuxta Ptolemæi methodum, & rationem, qua vtitur etiam in reliquis.

Videtur autem Ptolemæus lib. 1. cap. 5. generica doctrina aliud insinuare verbis illis. *Ac masculescere quidem matutinas, & antecedentes; vespertinas, & sequentes effæminari.* Verum Ptolemæus ibi loquitur de duobus quarantibus circa Solem, nimirum de antecedente, & de sequente, non de ortu in tota nocte, vel in tota die: & agit ibi ex professo de habitu masculino, vel fæminino, non de esse orientale, vel occidentale. Igitur in vniuersum Planetæ omnes eliacè, idest ad Solem comparati orientales sunt in prima apparitione postquam congressi sunt cum Sole directi vsq. ad primam stationem &c. alternatim per quadrantes vt dictum est: Quod in superioribus non patitur difficultatem: sed Venus & Mercurius erunt orientales in habitu vespertino vsq. ad primam stationem, cumq. ibi effæminescant, assequuntur locum suæ naturæ, deinde per quadrantes Epicycli alternatim mutant conditionem &c.

Vt verò de Venere & Mercurio proposita difficultas plenè intelligatur. Epicyclus Veneris & Mercurij iuxta communem recentiorum sententiam obseruationibus comprobatam habet pro centro corpus Solis: de qua re non est dubitandum: quoniã si totus eorum Epicyclus maneret infra Solem, parumper

per nobis vndiq. lucerent, & propè nihil, maximè versantes in propinquitate Solis etiam directi; quod è contra accidit: tunc enim nobis, maximè lucent, & ostendunt nobis lucem ferè omnem quam habet: circa perigæum verò ostendunt nobis modicam partem, adeo quod in coniunctione cum Sole. retrocedentes obijciant nobis tergum obscurum. Igitur Venus & Mercurius dupliciter oriuntur eliacè, idest post congressum cum sole tum quando sunt directi, tum etiam quando retrogradi: & directi quidem oriuntur vespertini, retrocedentes matutini: & in vtroq. hoc habitu sunt orientales.

Quādo, sūt vespertini descendūt ab Apogęo, & ad nos appropinquāt vt ideo eorū corpus nobis appareat successiuè semper maioris quantitatis; verumtamē circa primā stationem minuitur à nobis eorum lux, vsquequo tandem omninò occultetur. Quando verò oriūtur eliacè matutini post medium regressum ascendunt à Perigæo, vt ideo minuatur quidem apparens quātitas suorum corporum; sed pars luminosa nobis successiue sēper magis ostenditur; & hoc verissimum est & notandum.

Quibus stantibus differentijs manifestè apparet quod Venus, & Mercurius maximè vigent in prima apparitione à Sole vespertina vsq. ad primam stationem & ibi constituunt quadrantem orientalē: Inde vsq. ad occultationē, & cum Sole congressum retrocedentes debiliores euadunt, & efficiunt quadrantem occidentalem. In exortu verò eliaco matutinò retrocedentes rursus incipiunt resumere vires, & efficiunt quadrantem orientalem vsq. ad secundam stationem: Inde tandem vsq. ad congressum cum Sole; vbi quia eleuantur & occultantur prorsus debiles fiunt, & efficiunt Quadrantem occidentalem. Et hanc censeo esse veram sententiam Ptolemæi rationibus prædictis demonstratam; itaut quicquid alibi à me dictum fuerit, vel ab alijs ad hanc nouissimam opinationem accedere iure optimo statuerim circa habitum Planetarum eliacum idest erga Solem. Quod si Ptolemæus passim videatur confusè accipere orientalem & matutinum; occidentalem & vespertinum, intelligit modo explicato; vel certè interpretes scripserunt pro suo arbitrio, cum censerent fortasse hæc verba eamdem habere significationem. Cæterum Ptolemæus lib. 1. cap. de Anni temporibus atq. item lib. 4. cap. de Coniugio

 dis-

distinguit etiam quadrantes mundi, & ab Ortu ad Culmen eique oppositum vocat orientales; reliquos duos occidentales.

Cumq. Zodiaci quadrantes similes secundum naturam sint quadrantibus mundi; Veris, & Autumni orientales erunt, Aestatis, & Hyemis occidentales.

Difficultas nunc remanet de quadrantibus Stellarum fixarũ, & crinitarum, quæ non progrediuntur per Epicyclum. Ad quod respondeo, quod oriente Sole, ad cuius respectum obseruandæ, quem in mundo quadrantem obtineant, vel etiam in circulo Zodiaci, cuius Veris quadrans orientalis & masculinus, æstatis occidentalis, & fæmininus &c.

Nunc igitur ad rem capitis nostri; tempora effectuum in genere siderum orientaliũ, idest in quadrante orientali manẽtiũ, vel in cardinibus apparent primo tempore: occidentalium verò, idest in quadrante occidentali manentium, & in cadentibus tardius. Quod si contingat quadrantes circuituum siderum dissentire: vt si erga solem ponantur in orientali, erga mundum in occidentali, vel è contra &c., & effectus eorum varijs tẽporibus proculdubio apparebunt sed à diuersis causis.

Ex his autẽ facile est etiã colligere quasnam qualitates producant erraticę Stellę in prę̃fatis quadrantibus. Quoniam enim sicut à nobis demõstratum est in cęlesti Philosophia lib. 1. c. 12. sidera intensione lucis producunt calorẽ, & extẽsione humiditatẽ quod etiã patet ex Ptol. lib. 1. cap. 4. vbi agit de viribus, & naturaerrãtium; dicit enim quod Sol calefacit, & proculdubio ratione ingentis intensionis suę lucis, *Luna vero* ait, *propterea quod proximè terram fertur vnde exeunt exhalationes humidæ plurimum madefacit*. Quod intelligi debet hoc modo, nimirum eo quia Luna apparet nobis magnæ extensionis, causa suæ ad nos propinquitatis; propinquitas enim causa est apparitionis maioris extensionis, sicut ibidẽ demonstrauimus; *vnde*, ait idest inde sequitur vt eleuentur humidæ exhalationes: & quod talis sit Ptolemæi sententia patet in eodem cap. vbi agit de Venere; *quæ*, ait, *vehementer humectat quemadmodum & Luna propterea quod ingenti luce prædita, attrahit exhalationem humidam à proximis terræ locis*; dicit verò quod attrahit, idest excitat, & producit. Igitur si

Ve-

Venus, quia habet magnam extensionem lucis, sicut etiam Luna, humectat, vtiq. eodem modo intelligit de Luna, sicut asserit de Venere.

Sequitur ex his quod etiam omnia sidera vbi augentur lumine producant humiditatem, vbi diminuuntur, siccitatem. Quare à prima apparitione eliaca incipiunt producere humiditatem, quoniam augentur lumine, quia apparent nobis semper maioris extensionis; quemadmodum etiam Luna à prima apparitione à Sole, quia extensiuè augetur lumine vsq. ad plenilunium, producit humiditatem: at verò circa plenitudinem suæ lucis, eo quia efficiant maiorem intensionem luminis Astra calefaciunt; in oppositis verò semicirculis proculdubio contrarias qualitates exhibent; contrariorum enim contrariæ causæ. Hæc autem omnia patent etiam in Sole, qui vbi auget dies producit humiditatem, in plenitudine verò dierum producit calorem. Confirmantur autem hæc omnia ex Ptol. lib. 1. cap. 7. vbi requiuit quid valeant configurationes erga Solem; atq. etiam ex cap. 9. vbi naturam exponit 4. temporum Anni: Videlector hæc Ptolemæi capita, & ibi recognosces vniuersa, quæ diximus; atq. percipies quas nam qualitates producant sidera in quadrãtibus suorum circuituum, de quibus dictum est, imò etiam in quadrantibus mundi & Zodiaci; eadem enim ratio valet in cunctis. Ab hac autem doctrina ferè maior pars huius artis dependet; vt propterea rectè, & plenè intelligenda sit, & accurate obseruanda.

CAP. V.

De Parentum valetudine.



NOn videatur cuiquam à nostro de Astrosophicis ad Artem medicam rebus instituto alienus titulus de Parentibus: quoniam cum intercedat inter filium, & parentes relatio, quæ est inter effectum, & causam qui semper sunt similes inter se; ob hanc rationem & similitudinem è natali filij, tanquam ab effectu plura cognoscere possumus circa parentum vitam, & valetudinem: relatiuorum enim eadem est disciplina.

Incipit ergo Ptolemæus iuxta suam diuisionem & ordinem doctrinæ de capitibus illarum rerum agere, quæ præcedunt

ipiam genituram nimirum de parentibus. Et primò assumit subiectum, seu dicamus significatorem Parentibus concinnum secundum præscriptam methodum inquiens.

Sol igitur, & Saturnus patri, natura familiares sunt; Luna vnusq. Matri. Videlicet duos Planetas masculos robustiores pro patre duas fœmininas Stellas pro matre: à quibus parentũ statum inquirendum esse. Ait verò; *Fortunas enim & opes ex luminum satellitio deprahendere oportet: circumdata namq. beneficis eiusdemq. conditionis sideribus, siue in ijsdem signis, siue in proximis, illustrem, & luminosum parentibus statum decernunt, maximè quando Solem matutinæ cingunt Stellæ, Lunam vespertinæ; eaq. benè affecta.* Verba quidem hæc non astinent ad rem medicam; nihilominus quoniam continent modum influendi siderum, qui omnibus, & singulis rebus accommodatur; de hoc modo influendi agemus.

Notandum hic primo Ptolemæum docere quod Solem cingant Stellæ matutinæ, Lunam verò vespertinæ: quibus verbis apparent declarata illa cap. 2. lib. 4. *Et Stipatim quinq. erronibus erga Solem matutinis, erga Lunam vespertinis:* idest quod errones inueniantur in hoc habitu per quadrantes, vt diximus; & non vt quidam decepti intelligunt quod respectu Lunæ fiat vespertini.

2. Notandum sidus exempli gratia Solem circũdari ab alijs sideribus, nihil aliud esse, nisi Solem applicare ad aliquem planetam motu se ipso tardiorem; atq. alium planetam motu velociorem, quam sit Sol, ad ipsum applicare, & siue corporali congressu, siue alia qualibet familiaritate, & siue in Zodiaco, siue in mundo; & quod ita intelligat patet ex verbo *cingunt*: nam cingere est vndiq. circumplecti; ait autem *siue in ijsdem signis, siue in proximis* idest siue omnium radij maneant in vno, & eodem signo, siue partim in fine vnius, & partim in principio alterius proximè sequentis dummodo tamen non sit maior distantia, quam sphæra actiuitatis eorum, quæ in Ioue à Ptolemæo definitur ad gr. 12. in Venere ad gr. 8.

3 Notandum quod si satellitium sumatur nostro hoc modo; itaut nihil aliud sit nisi mera satellitum familiaritas & siue per congressũ siue per aliã quamlibet familiaritatẽ; sequitur cõtingere

gere posse omnes alias conditiones quas ponit Ptol. li. 4. c. 2. nimirum satellites esse orietales, in cardinibus, & ad superiorem cœli cardinem configuratos: alias emergunt difficultates ingentes, quas notat Cardanus in Comm.

Rursus dicit non tantum beneficis, verum & eiusdem conditionis sideribus: Conditio tripliciter contingit, scilicet sexu, vel conditione temporis, vel iure dominij; sexu fit si erga Solem planetæ masculi, erga Lunam fœminini; conditione temporis si erga Solem diurni, qui die supram terram, de nocte infra maneant; erga Lunam nocturni, qui de nocte supram terram, de die infra: iure dominij si erga luminaria planetæ illi associentur, in quorum dignitatibus illa insistant; nam si signa luminarium sint contrariæ naturæ conditio satellitij degenerat in luminariũ detrimentum; vt exempli gratia si luminaria maneant in Geminis vel in Virgine in quibus Iuppiter detrimentum patitur, Iouis satellitium parum prodest. Et hoc præceptum valet in cunctis capitibus. Addit quoq. Ptolemæus.

Si verò Saturni, & Veneris stellam contingat orientalem esse in propria persona aut in angulis fœlicitatem insignem intelligere oportet, Cum enim constituisset patri Solem & Saturnum, matri verò Lunam, & Venerem, postquam de Solis, & Lunæ satellitio dixisset, subdit etiam de statu Saturni, & Veneris, qui si pulchrè, & validè se gerant, parentum felicitatem adaugent. Hinc colligimus quod à robusto, & felici habitu significatois, quicunq. sit, rei significatæ augmentum, & valetudinem intelligere debemus: à debili verò, & infelici diminutionem, & destructionem.

Cæterum quo nam modo sidera dicantur esse orientalia, & occidentalia, dictum est in superiori capite.

Sequitur verò Ptolemæus contrariam infœlicitatis partem dicens, *Contra si luminaria cursu inania sint, & Satellitio destituta, humilem, & obscuram parentum vitam significant, & maximè quando Venus Saturnusue non sat pulchrè videntur siti: satellites quidem non desint, sint tamen diuerse secta, vt con Mars ad Solem fertur, Saturnus ad Lunam &c.*

Saturnus, & Mars cum sint motu particulari tardiores, quam sint Sol, & Luna, non possunt ferri ad luminaria tali

motu

motu sed luminaria feruntur ad ipsos; quare titulo, *ferri*, debemus accipere quacunq. applicationes luminarium ad ipsos vel eorum radios: quamuis re vera contingat si malefici vespertini sint, quod motu vniuersali ad luminaria ferantur. Verbis illis *cursu inania* intelligit si nemini applicent, & nemo illis, quo satillitio distituta dicuntur esse.

Rursus Ptolemæus. *Si sors fortunæ, de qua post dicemus, conuenit in genitura cum Solis, & Lunæ satellitibus fortunatis, per manus tradentur liberis salua parentum bona, sin minus, aut si repugnant, & luminarium laterones aut nulli sunt, aut malefici, inutiles erunt liberis parentum possessiones, atq. adeo noxiæ.*

Si laterones lumjnarium vel nulli sunt, vel malefici, cum significetur parentum sors humilis, & egena, proculdubio non poterunt filijs prodesse, vel saltem cum fructu bona parentum; quoniam melefici solent lites, difficultates, rapinas incendia, tempestates, incuriam, &c. huiusmodi interijcere calamitates. Si verò absint benefici, vacat causa positiua facultatum.

Item si satellites quidem benefici non desint verum dissentiant à parte fortunæ simili modo inutiles erunt natis, dicit Ptolemæus parentum possessiones.

Sed hac de re videamus consensum ex cap. 1. lib. 4. vbi Ptolemæus ex professo agens de facultatibus præcipit obseruandas dominorum, & inuentium vires, & pulchrum habitum, tum demum eos qui vel super ipsos eleuantur, vel aliquo modo famulantur; igitur si planetæ huiusmodi famulentur luminaribus, id quod ad parentum sortem pertinet proculdubio nato salua parentum bona pollicentur: Quod si qui partem fortunæ gubernant non sint satellites luminarium, quamuis benefici, significant opes aliunde.

Hinc rursus docemur, si luminarium laterones malefici sint; ex altera verò parte quoniam à luminarium statu demonstrantur qualitates animi nati, vt docet Ptol. suo loco; hinc proculdubio sequi foreut natus inclinet se esse suorum parentum contemptorem, vel percussorem, nisi propter diuinam naturalemq. legem libertate rationis se contineat. Quando igitur id euenit; quoniam Sol, & Luna, prebent nato prima vitæ principia post animam, videlicet calorem, & humiditatem vitales

les; proculdubio qui parentes despiciunt insuper & percutiunt, signum est huiusmodi filios discriminibus, & infelici exitu obnoxios esse: id quod egomet sæpius vidi: caueant igitur ab hoc crimine liberi, coniicij ob ingratitudinis maximè offensam in suum caput ominari: & hoc infallibiliter adeo vt nihil certius. sequitur Ptolemæus.

Longæuitas autem eorum aliunde deprahenditur patri nimirum, si Iuppiter aut Venus quouis modo Soli configuratur, aut Saturno: siue, & ipse Saturnus conuenienter Soli configuratur, coniunctione, radijsq. sexangularibus, aut triangularibus; siquidem illi potentes fuerint longa vita decernitur: si imbecilles non ita neq. tamen continuò breuis.

Cum significatores patris consistuantur Sol, & Saturnus, si benigno radio faueant eis Iuppiter & Venus, id quod etiam constituit erga Solem satellitium: tunc respiciendum ad statum, & habitum harum beneficarum: nam si inueniantur robustæ promittunt patri diuturnitatem vitæ.

Hæc autem doctrina valet in cunctis rerum capitibus iuxta methodum supra traditam, quæ vt intelligatur plenè; est enim secretum in hac arte maximum, non pigeat per digressionem addere exemplum.

Planeta exempli gratia ab xi. domo vsq. ad culmen, vel cò respiciens promittit amicos, vnde huiusmodi planetæ vocantur promissores ab Astrologis: similiter exempli gratia si loquamur de satellitio quod pertinet ad cap. 2. lib. 4. planeta beneficus respiciens luminaria, maximè quod temporis, promittit bonum ab amicis: si talis planeta inueniatur robustus, potentes amicos, ideoq. valdè profuturos promittit; si verò debilis, exiles, & debiles amicos, parumq. vel nihil vtiles, atq. similiter in cunctis rerum generibus.

Quæ doctrina præter ea quæ docet Ptolemæus deducitur ex primis principijs nostræ cœlestis Philos. lib. 1. traditis, vbi diximus, quod proprietates effectuum à proprietatibus causarum pendeant, ad rem nostram.

Si Iuppiter, & Venus Solem respicientes imbecilles sint, nō significant patri diuturnam vitam: sed neq. propterea statim iudicandum fore breuem, ait Ptolemæus; etenim sicut positiuę

causę requiruntur bonorum scilicet siderum ad vitam diuturnam ita positiuæ quoq. causæ nempe maleficorum ad breuem vitam parentum: ad illam quod beneficæ maneant robustæ, ad hanc, quod maleficæ similiter inueniantur robustæ. Vnde subdit.

Cum verò illud vsu non venit, sed Martis sidus supra Solem, aut Saturnum attolitur, ijsue succedit: aut si ipse iterum Saturnus cum Sole non conuenit, sed vel ex opposito loco, vel tetragono aspicit decidentes ab angulis, valetudinarios tantum patres efficiunt. Quibus nam modis Astra nanciscantur robustas vires, vel imbecilles, vel dicantur super inuicem eleuari, iam in præmissis declarauimus, Quoniam igitur Planetæ in cardinibus nimis potentes sunt ad statim de præsenti validum, & notabilem effectum producendum; ideo malefici in hoc habitu demonstrant patri breuem vitam: in cadentibus verò cum sint imbecilles, exilem effectum ostendunt, & propterea valetudinarium tantum patrem declarant.

Notandum verò quod Ptolemæus primò obseruat Martem erga vtrumq. patris significatorem, scilicet Solem, & Saturnum: deinde ipsos significatores ad inuicem, quoniam cum sint contrariæ naturæ, hostili radio se se inuicem malè afficiunt, & lædunt.

Similem doctrinam habemus lib. 3. cap. 14. vbi agens de moderatione vitæ nati dicit, quod Luna lædit Solem, & è contra Sol ipsam Lunam. quando inuicem occurrunt, si prauas maleficorum qualitates induant: quamuis ambo concurrant ad præstandam vitam; quoniam Sol vitalem calorem, Luna humiditatem radicalem exhibent vt sæpius diximus. Vnde fit quod luminaria non tantum gerant vicem Significatoris in diuersis rerum capitibus vt dicemus, verum etiam promissoris in omnibus, & singulis; immo præcunctis Astris validissimi; quod accuratè notari, & obseruari debet: Et ego perpetuò vidi quod luminaria beneficis iuncta si benigno radio intueantur supremum Cardinem multo nobiliora munera exhibent, quam benefici ipsi à se solis; similiter robustiorem vitam si Horoscopum.

Cum igitur in casu nostro Saturnus hostili radio afficiat Solem

lem prauis qualitatibus, tum ipse Sol remanet læsus, tum ad ipsum Saturnũ læsas qualitates remittit;atq.ideo & dissentientes, & prauas qualitates in corpore patris adesse demonstrant. Et notandum quod vbi Ptolemæus dicit, decidentes ab angulis hic intelligit omnes maximè, Saturnum, & Martem. Rursus Ptolemęus.

Breuis autem vitæ, aut vitioso corpore cum angulares sunt, aut angulis succedunt, ac vitam sanè breuem in primoribus duobus angulis, ascendente nimirum, & cæli fastigio locisue succedentibus, vitiosos verò in reliquis occidente nimirum, & cæli parte infima.

Cum enim pars Cœli orientalis ab ortu ad culmen validissima sit in qua scilicet Astra lumine augentur, & viribus; ingentes inibi, & absolutos ostendunt effectus: quod in cunctis capitibus obseruandum; ideoq patri vitam abscindunt ibi malefici supra significatores eleuati;atq.statim primo tempore. Pars verò occidua. quoniam morbosa est, vtpote in qua lumen, & vires Astrorum successiuè minuuntur, morbos tantum in corpore patris significant. Vides nunc lector quam pulchrè, & concinnè se habeant prima huius artis principia. Ptolemæus eadem de morbis corporis distinguit quod planetæ orientales producant in corpore vitium, seu deformitatem aliquam, quæ vt declarat ibi Ptol. est absoluta priuatio alicuius muneris, vel partis corporis: occidentales verò producunt morbos, & dolores vel iuges, vel reciprocos. Et notandum quod Ptol. verbo illo (*vitiosos*) propriè intelligit morbos vt ex versione Halij expressè colligitur.

Concludit verò Ptol. de patre his verbis. *Mars igitur Solem intuitus ad eum, quem diximus modum, subitò interimit, aut vitiũ occulis iniicit; Saturnum verò feriens, febrili rigore, vitijsq. per sectiones et vstiones inuoluit. Satur. quoq. male affectus erga Solem, morti paternæ viam per morbos sternit, turbationesq. ex humoris copia proficientes adducit.*

Mars quoniam eius æstuantes qualitates nimis actiuæ sunt, statim, & subdito suos effectus elicit, siue morbos siue vitia: Saturnus verò diuturno tempore construit; & ille quidem calore, & adustionè, hic verò per frigiditatem, & densationem, vnde humorum redundantia & fluxus oriri solent.

Quoniam verò luminaria in ipso filio dominantur oculis, & Sol quidem dextro, Luna verò sinistro: Sol enim dextris omnibus, Luna sinistris corporis partibus; & in specie luminaria luminibus nostris: hinc ex physiognomicis præceptis deducitur, quod si quis cicatricem, vel aliud notabile vitium vel orbitatem patiatur in oculo dextro, vel circa ipsum, etiam in super cilio, signū est infallibile nati patrem vel breui vita functum, vel ęgra valetudine degere, vel infelici sorte vexari. Et similiter ab oculo sinistro de matre iudicandum, circa quem etiam neui infelicitaté, & dehonestamenta arguunt, qui è contra circa dextrū potius felicitaté cōcinnāt: etenim neui in parte dextra quælibet felicia ferunt omina, caliditatis enim signū sunt; in sinistra verò infelicia, & innuunt præ cæteris impatientem in rebus agendis, & præcocem calorem; quos enim abundare neuis vidi callidos, & impatientes cognoui.

Post hac Ptolemęus loquitur de matre, eamdemq. methodum obseruat in contemplatione Lunæ & Veneris tum in se ipsis, tū adinuicem, tum quoq. maleficorum erga ipsa: & an malefici retrocedant, vel decidant ab angulis; an verò sint directi, & angulares, &c. methodus igitur eadem est, ne eadē repetamus. Deinde subiungit.

Enimuerò Mars Lunam ita intuitus orientalem, mortes matribus repentinas, vitiaq. oculorum adducit, occidentalem verò mortes ex abortionibus, aut similibus, vitiaq. per sectiones, & vstiones. Venerem aspiciens mortem per successiones maturat, abditisq. in locis nascentia vitia, obtenebrationes, & repentinos humorum decursus.

In quouis rerum capite vbi Luna familiaritate afficitur siue à beneficis, siue à maleficjs obseruandum est an orientalis an occidentalis inueniatur iuxta quadrantes, & an plena sit, an vacua lumine: Quemadmodum alias ipse Sol an augeat dies, an minuat, & an dies noctibus maiores, an minores exhibeat & quem in mundo quadrantem teneat; Cum ènim hinc emanent quatuor primæ qualitates, ex familiaritate cum planetis qualificatis, vel augentur ad excessum, vel minuuntur ad temperamentum; vnde in æstiuis quadrantibus febres tertianæ biliosæ magis vigent, in hybernis quartanæ hæticæ hydropes &c.

Dicit porrò Ptolemæus si Luna sit orientalis à Marte læsa, mor-

mortes repentinas affert matri, quæ semper à nimio calore fiunt, qui cum sit maximè actiuus extemplo suum elicit effectum; nam Luna orientalis auget qualitates, quæ cum calore Martis iunctæ ad excessum summi gradus ducuntur. E contra si Luna sit occidentales abortiones parit, quoniam tunc Luna cum subducat humiditatem suam fæcundam, quæ matri propria est, Mars suo calore noxio de facili separat fœtum à materno influxu. Rursus circa Venerem, quę cum frigida sit, Mars suo calore liquat & destruit Veneris bonitatem, vt eius salutaris humiditas diffluat in putredinem; proprium enim est caloris extranei liquare, & ad putredinem ducere quodcunq. frigidum, & humidum offenderit. Quibus clarè patet quam concinna sit Ptolemæi doctrina præceptis veræ Philosophiæ & Medecinæ. sequitur ipse.

Saturnus verò radians Lunam mortes, morbosq. affert cũ orientalis ea est, per febriles rigores, cum occidentalis per vteri affectiones & corrosiones. Saturnus officiens Lunæ orientali, vbi ipsa auget maximè humiditatem, humiditas à Saturno condensatur, densata verò calefit extraneo calore: vnde Saturni quoq. febres calidæ sunt omnis enim febris calor quidam est quamuis re vera summa & principalis causa febris Saturni frigida sit.

Cum verò occidentalis est Luna, vitia, & morbos ad interiores corporis partes reuocat, quoniã minuit qualitates, cũq. ideo fiat densatio, quæ est motus à peripheria ad centrum, ad internas corporis partes reuocantur morbi.

Ptolemæus verò addit. *Animaduertere quoq. vna oportet vt vitiorum, morborum, & mortis genera distinctius eliciamus, signorum in quibus stellæ significatrices reperiuntur, natiuas peculiaresq. vires de quibus opportunius in ijs, quæ circa genituram contingant, dicemus.* Ad cognoscendam magis in specie vitiorum, morborum, & mortis qualitatem, concurrunt etiam signorum naturæ, quibus insident Astra: de qua re pollicetur agere suis locis, eadem enim ratio de filijs atq. de parentibus maximè in casu nostro, quippe eadem luminaria, quæ parentum constituuntur significatores, sunt etiam significatores vitæ, & rerum ipsius nati: Vnde mirum non est si persæpe parentum affectiones ad filios in hæreditatem

tran-

transeunt maximè quæ circa nobiliores corporis partes existunt, & inhærent: namq. de substantia parentum post Deum Op. Max. filij coagmentantur. Sequitur ad huc Ptol.

Amplius obseruare conuenit die maximè Solem, & Venerem: nocte Saturnum & Lunam. Quod reliquum est in singulari euentuum exploratione conueniens sanè, ac proximum erit patris, aut matris locũ, qui se pro tẽpore obtulerit, tanquam orientem ponere, cæteraq. quasi proposita parentũ genitura, iuxta eas, quas deinceps tradēmus, de præcipuis generibus rerum, & euentuum inductiones deprehendere.

De die Solem, & Venerem: de nocte Saturnum, & Lunam, vt parentum significatores præcipit obseruandos; atq. pro eorum precipuis rebus censendum constitutos esse tanquam in oriẽte: haud quidem, vt nonnulli perperam arbitrantur ponendos esse in oriente, & domorum diuisionem, siue cœlestem figuram rursus diuersimodè construendam secũdum Poli eleuationem regionis: sed si quis velit describere figuram parentum ex figura filij, posito significatore in ortu, in reliquis domibus easdem diuisiones reponat, quæ sunt in subsequentibus à significatore domibus figuræ ipsius filij: Quod si in figura filij, significatores parentum morentur circa medium alicuius domus sumpto significatore tanquam in oriente, idest in prima domo, sequens domus ponatur loco secundæ &c. per ordinem, cum Planetis in eis inuentis nihil mutando; sed relinquẽdo cadentes in cadentibus, angulares in angulis.

Huius rei ratio est, quod in noua parentis constrútione permanere debent ijdem radijs cosmici, qui erant in filio, vt nimirum emergant eædem significationes; quod contingere non poterit, nisi remaneat eadem domorum diuisio, & siderum collocatio quæ in filio: tantum enim ait Ptolemæus, parentis significator velut oriens ponendus est, firma superstite domorum diuisione, quamuis tranferantur signa, & Planetæ ad alias domus.

Ex hac verò nuper erecta figura eodem prorsus modo ratiocinari licebit, ac si esset vera parentis constitutio genethliaca; videlicet iuxta subsequentium capitum præcepta.

Ptolemæus deinde monet contemplandos esse omnes, & singulos, qui si vnà consistant, iuxta eorum commixtionem prudenter

denter iudicandum; si verò seorsim primò tempore apparebūt significata eorum qui orientales fuerint; postremo eorum qui occidentales: Tandem Ptolemæus hæc subdit verba.

Verum enimuero initio necesse est quæstionis loco conforme esse id quod efficere possit quidquam circa eum sidus. Alioqui fieri omnino non potest vt aliquid præstet, quod cum principio non conuenit. Vbi Ptolemęus duo vult inferre, primò vt vnaquæq. res requiratur a loco sibi proprio, vt de vita ab Hylech, de substantia à parte fortunæ, de morum & animi qualitatibus à Luna &c. & non sicut solent ignari veræ doctrinæ à quibuslibet quodlibet. Secundo vult inferrè quod in temporum diuisione, idest in directionis motu obseruandi sint promissores illi, qui ab initio natalis familiares fuerint significatoribus vel eis præsint; nam qui secus exiles effectus, vel solam vmbram, siue boni sint, siue mali demonstrant; id quod semper seruandum est.

Vtrumq. autem præceptum compræhendit idem quod vult Aristoteles, & communiter Philosophi omnes illo axiomate: nihil de nouo fieri, quod prius non existat potentia, & intelligi debet de potentia propinqua: quibus patet artem hanc præclaram fundatam esse et conuenire cum verę Philosophię principijs. Quæ in fine subdit Ptol. pertinent ad tempora decretorum, quæ de se plana sunt, & ex dictis atq. dicendis clarius innotescunt.

CAP. VI.

De Fratribus & Sororibus.



PTolemæus proponit exquirere tantum eos, qui ex eadem matre nascuntur: qua de re significatores, pro subiecto assumit cōditionariū matris, qui inter diu Venus, noctu verò Luna ponitur: atq. adiungit culmen, de quibus hæc habet. *Cum igitur benefica cum hoc loco configurantur, amplum fratrum prouentum pronunciabimus, pro ipsarum Stellarum multitudine iudicium instituentes, & vtrum in signis reperiantur vniformibus an duplicibus.* Iam supra lib. 1. cap. 4. Ptol. dixerat duas tellas Iouem, & Venerem fœcundas esse, & viuificas, duas verò Saturnum, & Martem steriles, & exitiales: Rursus ibidem cap.

ſę ſunt copioſæ prolis, malefici veró quoniam ſteriles, et exitiales inhibent, vel tollunt. Ait autem Ptol. pro mundi ſitu, ideſt iuxta naturam quadrantum, & ſignorum, & non meminit inſitæ & propriæ naturæ in hoc capite, quo intelligamus ſexum magis pendere à natura locorum, quam a propria ſiderum.

Ad hæc ſi fratrum authores conuenienter configurati sũt planetæ dominanti ſigno fratrum, beneuolentiam mutuam, animoſq. fraternos tribuũt; ſi parti quoq. fortunæ, vitæ fortunarumq. communicationem, ſi in ſignis nulla neceſſitudine cõiunctis aut contrarium dictis acciderit, contentioſos, & inuidioſos, atq. omninò ſibi mutuo inſidiantes. Signum fratrum proculdubio eſt, in quo manet ſignificator matris conditionarius, ideſt de nocte Luna, de die Venus, atq. ſemper Culmẽ: à quo ſigno cũ afficiatur ipſe matris ſignificator, qualitates & temperamentum matris, tum demum qualitatem quãdam genericam, & communem fratrum oſtendit. Quare ſi largitores conuenienter configurantur cum domino illius ſigni, videtur fieri nexus quidam eiuſdem qualitatis inter fratres, quo in vnione beneuolentiæ conueniant: id quod procedit etiam à Parte fortunę pro facultatũ indiuidua communitate ſi ad ipſam largitores fratrum omnes quacunq. familiaritate iungantur, nam à ſympathia, & qualitatum ſimilitudine beneuolentia inter animos proficiſci ſolet; à diſſimilitudine, & antypathia hoſtilitas.

Quare non erit difficile cognoſcere ſi aliquis fratrum diſſentiat, quis ille futurus; erit enim à largitore promiſſus, qui nõ cõuenit cum cæteris modo prædicto. Quod ſi ſit dominator in natiuitate propoſita, natus hic erit ille diſſentiens.

In fine Ptolemeus proponit è ſingulis largitoribus, tanquam in horoſcopo collocatis de ſingulis fratribus inquirenda peculiaria &c. eodem modo, quam de parentibus dixerat, & nos iam innuimus modum quo diſcribenda ſit cœleſtis figura.



Quo-

CAP. VII.

De Sexu fœtus



QVoniam luminaria, & Horoſcopus in quo nobis vniuerſa ſidera oriuntur, præſtant vitales qualitates ad coquenda elementa, & corpus mixtum animatum efformandum ſi ipſa luminaria, & Horoſcopus induant maſculinum ſexum, quod pluribus modis contigit, maſculum componunt fœtum: è contra ſi fœmininum: neq. videatur ridiculum, vel abſurdum inter ſidera inueniri ſexus differentiam; quoniam re vera non ſexus, ſed virtutes producendi eas qualitates, quæ differentiam ſexus afferunt apud fœtum, in eis inſunt.

Nam duę qualitates calor & frigiditas actiuę qualitates ſūt, humiditas, & ſiccitas paſſiuæ, vt ſæpius aſſerit Ariſtoteles: Cognito igitur vnde fluant ſeorſim hæ qualitates: illico innoteſcet cauſa differentiæ ſexus.

Primò Quadrantes Zodiaci, & mūdi: de inde ſigna; mox pari ratione manſiones cœleſtes domorum; rurſus habitus erga Solem orientalis, & occidentalis; tandem propria natura erraticarum.

Nam quadrantes ab Ariete ad Cancrum, vbi incipit produci calor; & à libra ad Capricornum, vbi frigiditas, maſculi ſunt: reliqui à Capricorno, Ad Arietem, & à Cancro ad Librã vbi humiditas, & ſiccitas, fœminini.

Item pari ratione ab ortu ad Culmen, & ab occaſu ad Imum maſculi ſunt; ab Imò ad ortum, & a Culmine ad occaſum fœminini.

Hinc fit quod tum ſigna. tum Domus qualitatem ſexus referunt, videlicet quæ radios habent conuenientes ad puncta illa inceptionis qualitatum: vt Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagitarius, & Aquarius ſunt ſigna maſculina: Capricornus, Piſces, Taurus, Cancer, Virgo, & Scorpius fœminina. Domus xii. x. viii. vi. iv. & 2. ſunt maſculinæ, Domus xi. ix. vii. v. iii. & prima ſunt fœmininæ: attamen prima Domus patitur exceptionem cauſa crepuſculi, per cuius totum ſpatium vireſcit. Maſculi Planetæ ſunt Saturnus, Iuppiter, Mars, & Sol: fœminini Venus, & Luna, Mercurius ancipitis ſexus prout cū diuerſis com-

commiſcetur, vel prout induit habitum a quadrantibus; itaut aliquando hermaphroditos reddat vt innuit Ptolemæus c.16.

Tandem comparatione ad Solē Planetæ matutini maſculeſcunt; veſpertini verò è contra ad fęmininum ſexum accedunt. Dicit ergo Ptolemæus.

Omn inò autem obſeruandum eſt vtrum tria prædicta loca, ijſq. dominantes Stellæ, vel omnes, vel plures maſculina ſint, ad marium ſcilicet productionem, quemadmodū ad fæminarum procreationē fæminina atq. ita demū pronūciandum. Prædicta tria loca sūt Sol, Luna, & Horoſcopus: igitur ſi hæc tria loca, & eorum dominantes planetæ, & vel omnia, vel in maio ri parte induāt habitum maſculinū iuxta datā à Ptol. in primo lib. methodum, & à nobis cap. 4. ſignificant maſculum fætum; è contra fæmininum ſi appareant fæminina.


Maſculina verò, ait, & fæminina loca Stellaſue indicabimus ſecundum rationem nobis in canone tabularum initio huius operis traditam, à ſignorum, in quibus ſunt, et ipſarum Stellarum natura, & ab eo quem erga mundi cardines habent ſitu. Nam orientales cum ſunt maſculeſcunt: effeminātur occidentales. Præter hæc ex familiaritate, quam habēt erga Solem. Nam matutini cum ſunt, rurſus maſculeſcunt. euirantur autem veſpertini. Spectanda eſt planetarum natura abſoluta, & quam acquirunt à quadrantibus mundi, à ſignis demumq. reſpectu ad Solem, quæ cūcta Ptolemæus docuit in primo lib. Ex hoc verò loco clarè liquet quod Ptolemæus diſtinguit orientalem, & occidentalem à veſpertino & matutino: adeo quod orientales, & occidentales fiant à quadrātibus prout latè declarauimus cap. 4. matutini, & veſpertini ab ortu ante Solem, & occaſu poſt Solem;

Spectatis igitur omnibus, & ſingulis reſpiciendum ait Ptol. cuius ſexus ſit ſuperatio. Dicit autem quod hæc obſeruatio valet tam in ſatu quam in natali, quoniam vt ſupra dixerat ſemper ſimiles ſunt ad inuicem Stellarum conſtitutiones in his duobus momētis, vt etiam nos quoq. rationē dedimus.

CAP.

CAP. VIII.

De partu multiplici.



Ingula rerum capita à singulis proprietatibus tū erraticarum, tum signorum instituit Ptolemæus. incipit ergo *In Gemellorum quoq. pluriumue procreatione decernenda, ijsdem duobus, nimirum luminari vtriq. & horoscopo credendum est & cætera.* Vide in textu. Eosdem assumit significatores quos ad sexum cognoscendum præmisit. Quare si luminaria, & horoscopus maneant in signis multiformibus, vel plurium planetarum radijs circumdata, qui bicorporea signa teneant. Rursus vel dominantes planetæ luminarium, & horoscopi habeāt signa bicorporea, & pluribus stellis sint configurati fætum pluralem declarant: maximè vt ego reor si maleficorum aliquis super ipsos eleuetur, vel interponatur: tunc enim non modo fætum multiplicem demonstrant, verum etiam cum aliqua insigni nota: quamuis Gemelli vt plurimum cum aliqua imperfectione nascuntur, eo quod ad multiplicandos effectus debilior se habeat virtus causæ efficientis immediatæ. Vnde iure optimo Ptolemæus in fine capitis ait. *In quibus ferè accidere solet quod non ad frugem perueniant quæ nata sunt, quodq. non sine insignibus corporis notis producuntur.* Rursus ait Ptol. *Quādo huiusmodi constitutio vna cū luminaribus non complectitur horoscopi angulum, sed eius loco medij cæli culmē hæ matres geminos, vt plurimū, aut plures concipiunt.* Vides lector quod Ptolemæus ex Gemellorum constitutione inuestigat matris proprietatem, scilicet à loco Culminis, quem supra matri dicauerat. Vbi notandum quod non sufficit Lunam, et Venerem, matris significatores in huiusmodi constitutione multiformi positas esse, sed opus est ipsas poni in Culmine: cum enim plures vna concipere ingens quoddam sit & maximę fæcunditatis effectus, non sufficit Lunam, & Venerē multiformem constitutionē habere; hoc enim dixerat valere ad solam fæcunditatem sæpius concipiendi, verum ad geminos, vel plures etiam vna concipiendos requiri etiam Culmen, quod multiformem constitutionem habeat; tunc verò ad geminos & plures vna procreandos fętus matres ostenduntur

tur

tur fœcundę. Ex quo docemur quod ad multiplicitaté significatorú multiplicantur notabiliter, & augentur effectus, et nō modo in fętibus verú etiam in morbis, atq. in omni rerum genere.

Igitur quandocunq. significatores, & dominantes planetæ inueniuntur in signis bicorporibus, maximè verò in Piscibus, quod signum non modo duplex est verum etiam fœcundum; nā profectò non est animal sub Cęlo prole sic fœcundum vt Piscis, qui vterum minutissimis ouis pari ferè se ipso pondere implet: significat multiplices effectus, et ī quolibet genere, vt circa prolem, circa munera, magisterium. mores, facultates, insuper, & morbos; nā si ī decubitu luminaria horoscopus, & dominātes planetę morborum authores maneant in signis bicorporibus proculdubio pluralitatem morborum ostendunt inesse decumbenti; idquod non modicum iuuare potest medicam artem, & ægris prodesse.

Ptolemeus lib. 4. cap. de facultatibus ait *maximè Ioue occidente in bicorpori signo; tunc enim ad liberorum procreationem deducti alienorum hæredes scribuntur*.

Rursus cap. 5. de liberis. *In bicorporibus, & fœmininis; itē in fœcundis signis, videlicet Cancro, Scorpione, & Piscibus duas, aut plures*.

Item cap. 8. de intineribus. *Si verò duum corporum, aut formarum continuum, & multo tempore*. In omnibus igitur, & singulis capitibus valet hæc doctrina.

Ptolemæus deinde ad rem nostram inuestigat sexum puerorum à sexu planetarum, qui cum luminaribus, & horoscopo configurantur; docetq. eumdem esse modum, quem dixerat superiori capite. Et nos pari omninò ratione in Decubitu, tum etiam in natali qualitates vniuscuiusq morbi peruestigare valebimus à natura intuentium Planetarum.

Vbi notandum quod in superiori tractatu de Dieb. Decr. diximus plures Planetas erga moderatores significare morbum mixtum; hic verò dicimus multiplicare: diuersa enim hæc sunt; nam potest eadem pars laborare mixto morbo, nimirum ex pluri qualitate putrescente cōposito; & possunt plures corporis partes vel eodem, vel diuersis grauari: hoc hautem est quod propriè significatur à signis bicorporibus, et à pluribus planetis in eis inuentis; Quamuis possit etiam eadem corporis

ris pars pluribus morbis inter se diuersis affici, qui à signis bicorporibus, & in eis planetis proficiscuntur nam tandem non dissimilem effectum habent plures planetæ vna simul suis familiaritatibus ad moderatorem conuenientes, ab eo, quem ostendunt signa bicorporea.

CAP. IX.

De Monstris.



Onstri nomine Ptolemęus intelligit quicquid ex fętu mulieris oritur deforme, vt vel excedens, vel deficiens à debitis humanis membris, vel ea obtinet contorta, inuoluta multiplicia, vel quoquomodo deformia, vel tandem ex partē vel in toto non humanam formam, sed alterius animalis præseferentia.

Ad hanc igitur rem Ptolemæus spectat habitum luminarium ad horoscopū, & maleficorum vires: deinde quod proximè pręcedit nouilunium, vel plenilunium, & erga locum illum luminarium respectum.

Primum enim, àit, *in huiusmodi lumina quidem ab angulis decidentia, et Horoscopo nulla familiaritate coniuncta: anguli verò ipsi à malcficis occupati reperiuntur*. Igitur quod luminaria maneant in Domo 12. 6. 8. & 2. nam in Domo 9. licet cadant ab angulis, attamen inde intuentur horoscopum radio trigono. Atq. tandem quod malefici occupent angulos, vbi vires maximas cum obtineant immoderatis suis qualitatibus, deformitates, vitia, & morbos iuxta morem suum afferunt: cumq. luminaria, & benefici, è quibus manant bona valetudo, pulchra species, & robur, ab angulis decidant viribus prorsus destituti, sua has temperatas qualitates depromere minimè valent. Sequitur ille.

Cum ergo talis quædam occurrit constitutio, quandoquidem illa sæpenumero etiam in abiectis, & infelicibus, licet nequiquam monstrosis genituris incidit: è vestigio inspicere oportet præterlapsam proximè coniunctionem, aut oppositionem luminarium, eiusq. & genituræ gubernatorem.

Gubernatoris nomine intelligit Planetam illum qui plura obtinet ad dominandum suffragia, & tum in præcedenti luminarium familiaritate, tum in genitura.

Si

Si enim genituræ eorum lunæq. & horoscopi loca vel vniuersa, vel complura nulla necessitudine cohærent cum prædicta coniunctionis, aut oppositionis loco, id quod nascitur contortum, & inuolutum esse significatur: Titulo genituræ intelligit dominantes in ea planetas, nam in alijs auersionibus exprimuntur: atq. hucusq. vniuersaliter loquendo ponit Ptolemæus vt significent fætum imperfectum esse in genere. Et optima quidem ratio imperfectionis. Quoniam enim duæ illæ qualitates Calor, & humiditas viuentium ortum habent à Sole, & Luna, sicut alibi à nobis probatum est, à quibus qualitatibus dependet forma, & magnitudo corporis: videmus enim quod illæ qualitates per nutritionem augent, & efformant corpus, & eius membra vsq. ad perfectam magnitudinem, & similitudinem suæ speciei; quamuis indiuidua inter se non nihil differant: De primo ad vltimum constat quod forma corporis à luminaribus ortum habeat: re ipsa vidi, quod si luminaria beneficis permixta intueantur benigno radio horoscopum, validam corporis contexturam, & concinnè formatam largiuntur.

Quare si nullo modo chohæreant dominus genituræ, & luminaria cum loco præcedentis nouilunij, vel plenilunij significatur imperfectio in fætu.

Quibus addendum omninò censeo: si in præcedenti nouilunio, vel plenilunio dominentur malefici, & luminaria vel etiam illi sint in signis inhumanis. Et hanc censeo constitutionē requiri tanquam vniuersalem causam, sine qua nullus particularis effectus producitur quoniam nouilunia, & plenilunia causæ sunt ortus, & interitus rerum.

Hic tamen notandum est primò Quod in forma corporis duo spectare possumus, formam seu figuram corporis iuxta suam vniuscuiusq. speciem, & genus; & hæc vocari potest generica; vt forma hominis, Canis, Leonis &c. Secundo formam, & figuram ab huc magis specificam, vt est maris, vel fæminæ, vel iouialis, quæ ciet venerationem, aut venusta, quæ luxum mouet; atq. huiusmodi. In hoc capite Ptolemęus nō loquitur de hac posteriori forma, de qua agit cap. 15. sed de priori magis generica.

2 Notandum id quod alibi etiam diximus Luminaria suis

vel

vel synodo, vel oppositione causas esse generationis contrarum rerum, imò & corruptionis; quoniam illa sunt momenta critica vniuersalia robustissima in rerum natura, ita Galenus in 3. de Dieb. Decr. & prout benefici, vel malefici in eis dominâtur tales effectus ad lucem prodeũt: vnde videmus tunc moueri Elementa ad nouam in inuicem trãsmutationem rursus generari vermes locutas, & alia similia; item etiam causæ sunt generationis monstrorum.

Tandem opportet meminisse quod in cęlesti Philos. diximus, & probauimus: licet sidera agant perpetuo iugiter actione alteratiua: attamen non producunt euidentem notabilem effectum, nisi in proportionabilibus distantijs, quę sunt familiaritates efficaces: vnde & Crises mouentur, & fœtus diuturna vita potitur à mense 7. 9. 10. & 11. vt iam dixim.

Ex his omnibus patet quam optima sit Ptolemæi doctrina in hoc capite: Nam si luminaria non respiciant Horoscopum agitur de defectum complementi & perfectionis formæ, & figuræ: tunc enim neque vitæ moderatores fieri possunt, vt infra videbimus.

Neq. statim propterea sequitur deformitas ait Ptolemæus; quoniam cessat quidam causa positiua perfectæ formæ; verum non est satis; sed requiritur etiam causa positiua deformitatis; qui enim dat esse dat etiam quale quantũ &c. propterea requiritur malefica angularis, à qua ipsa deformitas promouetur: fingitur verò, & quodãmodo delineatur ab imaginibus stellari orbis prout subiungit Ptolemæus. Hucusq. ait, sæpenumero contingit etiam in ijs, qui licet non sint monstrosi, vt plurimũ tamẽ humillimã sortem patiuntur: quare subdit aliud necessario requisitum.

Si enim ait, genituræ dominator, Luna, & Horoscopus, vel omnia, vel complura nullam habeãt familiaritatem cum loco præcedentis nouilunij, vel plenilunij, idquod nascitur contortum, & inuolutum esse significatur. sequitur Ptol.

Si igitur his stantibus luminaria in quadrupedibus, aut feralibus signis inueniuntur, duoq. angulis insidentes planetæ malefici, non humanum esse portenditur quod procreatũ est. Si beneficorũ nullus, seu maleficorum aliquis luminaribus testificetur, prorsum ab humana forma alienum,

Quoniam verò luminaria in ipso filio dominantur oculis, & Sol quidem dextro, Luna verò sinistro: Sol enim dextris omnibus, Luna sinistris corporis partibus; & in specie luminaria luminibus nostris: hinc ex physiognomicis præceptis deducitur, quod si quis cicatricem, vel aliud notabile vitium vel orbitatem patiatur in oculo dextro, vel circa ipsum, etiam in super cilio, signũ est infallibile nati patrem vel breui vita functum, vel ęrga valetudine degere, vel infelici sorte vexari. Et similiter ab oculo sinistro de matre iudicandum, circa quem etiam neui infelicitatẽ, & dehonestamenta arguunt, qui è contra circa dextrũ potius felicitatẽ cõcinãt: etenim neui in parte dextra quælibet felicia ferunt omina, caliditatis enim signũ sunt; in sinistra verò infelicia, & innuunt præ cæteris impatientem in rebus agendis, & præcocem calorem; quos enim abundare neuis vidi callidos, & impatientes cognoui.

Post hac Ptolemęus loquitur de matre, eandemq. methodum obseruat in contemplatione Lunæ & Veneris tum in se ipsis, tũ ad inuicem, tum quoq. maleficorum erga ipsa: & an malefici retrocedant, vel decidant ab angulis; an verò sint directi, & angulares, &c. methodus igitur eadem est, ne eadẽ repetamus. Deinde subiungit.

Enimuerò Mars Lunam ita intuitus orientalem, mortes matribus repentinas, vitiaq. oculorum adducit, occidentalem verò mortes ex abortionibus, aut similibus, vitiaq. per sectiones, & vstiones. Venerem aspiciens mortem per successiones maturat, abditisq. in locis nascentia vitia, obtenebrationes, & repentinos humorum decursus.

In quouis rerum capite vbi Luna familiaritate afficitur siue à beneficis, siue à maleficis obseruandum est an orientalis an occidentalis inueniatur iuxta quadrantes, & an plena sit, an vacua lumine: Quemadmodum alias ipse Sol an augeat dies, an minuat, & an dies noctibus maiores, an minores exhibeat & quem in mundo quadrantem teneat: Cum enim hinc emanent quatuor primæ qualitates, ex familiaritate cum planetis qualificatis, vel augentur ad excessum, vel minuuntur ad temperamentum; vnde in æstiuis quadrantibus febres tertianæ biliosæ magis vigent, in hybernis quartanæ hæticæ hydropes &c.

Dicit porò Ptolemæus si Luna sit orientalis à Marte læsa, mor-

mortes repentinas affert matri, quæ semper à nimio calore fiunt, qui cum sit maximè actiuus extemplo suum elicit effectum: nam Luna orientalis auget qualitates, quæ cum calore Martis iunctæ ad excessum summi gradus ducuntur. E contra si Luna sit occidentales abortiones parit, quoniam tunc Luna cum subducat humiditatem suam fæcundam, quæ matri propria est, Mars suo calore noxio de facili separat fœtum à materno influxu. Rursus circa Venerem, quę cum frigida sit, Mars suo calore liquat & destruit Veneris bonitatem, vt eius salutaris humiditas diffluat in putredinem; proprium enim est caloris extranei liquare, & ad putredinem ducere quodcunq. frigidum, & humidum offenderit. Quibus clarè patet quam concinna sit Ptolemæi doctrina præceptis veræ Philosophiæ & Medecinæ. sequitur ipse.

Saturnus verò radians Lunam mortes, morbosq. affert cũ orientalis ea est, per febriles rigores, cum occidentalis per vteri affectiones & corrosiones. Saturnus officiens Lunæ orientali, vbi ipsa auget maximè humiditatem, humiditas à Saturno condensatur, densata verò calesit extraneo calore: vnde Saturni quoq. febres calidæ sunt omnis enim febris calor quidam est quamuis re vera summa & principalis causa febris Saturni frigida sit.

Cum verò occidentalis est Luna, vitia, & morbos ad interiores corporis partes reuocat, quoniã minuit qualitates, cũq. ideo fiat densatio, quæ est motus à peripheria ad centrum, ad internas corporis partes reuocantur morbi.

Ptolemæus verò addit. *Animaduertere quoq. vna oportet vt vitiorum, morborum, & mortis genera distinctius eliciamus, signorum in quibus stellæ significatrices reperiuntur, natiuas peculiaresq. vires de quibus opportunius in ijs, quæ circa genituram contingant, dicemus*. Ad cognoscendam magis in specie vitiorum, morborum, & mortis qualitatem, concurrunt etiam signorum naturæ, quibus insident Astra: de qua re pollicetur agere suis locis, eadem enim ratio de filijs atq. de parentibus maximè in casu nostro, quippe eadem luminaria, quæ parentum constituuntur significatores, sunt etiam significatores vitæ, & rerum ipsius nati: Vnde mirum non est si persæpe parentum affectiones ad filios in hæreditatem tran-

transeunt maximè quæ circa nobiliores corporis partes existunt, & inhærent: namq. de substantia parentum post Deum Op. Max. filij coagmentantur. Sequitur ad huc Ptol.

Amplius obseruare conuenit die maximè Solem, & Venerem: nocte Saturnum & Lunam. Quod reliquum est in singulari euentuum exploratione conueniens sanè, ac proximum erit patris, aut matris locũ, qui se pro tẽpore obtulerit, tanquam orientem ponere, cæteraq. quasi præposita parentũ genitura, iuxta eas, quas deinceps trademus, de præcipuis generibus rerum, & euentuum inductiones deprehendere.

De die Solem, & Venerem: de nocte Saturnum, & Lunam, vt parentum significatores præcipit obseruandos; atq. pro eorum præcipuis rebus censendum constitutos esse tanquam in oriẽte: haud quidem, vt nonnulli perperam arbitrantur ponendos esse in oriente, & domorum diuisionem, siue cœlestem figuram rursus diuersimodè construendam secũdum Poli eleuationem regionis: sed si quis velit describere figuram parentum ex figura filij, posito significatore in ortu, in reliquis domibus easdem diuisiones reponat, quæ sunt in subsequentibus à significatore domibus figuræ ipsius filij: Quod si in figura filij, significatores parentum morentur circa medium alicuius domus sumpto significatore tanquam in oriente, idest in prima domo, sequens domus ponatur loco secundæ &c. per ordinem cum Planetis in eis inuentis nihil mutando; sed relinquẽdo cadentes in cadentibus, angulares in angulis.

Huius rei ratio est, quod in noua parentis construtione permanere debent ijdem radijs cosmici, qui erant in filio, vt nimirum emergant ædem significationes; quod contingere non poterit, nisi remaneat eadem domorum diuisio, & siderum collocatio quæ in filio: tantum enim ait Ptolemæus, parentis significator velut oriens ponendus est, firma superstite domorum diuisione, quamuis tranferantur signa, & Planetæ ad alias domus.

Ex hac verò nuper erecta figura eodem prorsus modo ratiocinari licebit, ac si esset vera parentis constitutio genethliaca; videlicet iuxta subsequentium capitum præcepta.

Ptolemæus deinde monet contemplandos esse omnes, & singulos, qui si vnà consistant, iuxta eorum commixtionem prudenter

denter iudicandum; si verò seorsim primò tempore apparebût significata eorum qui orientales fuerint; postremo eorum qui occidentales: Tandem Ptolemæus hæc subdit verba.

Verum enimuero initio necesse est quæstionis loco conforme esse id quod efficere possit quidquam circa eum sidus. Alioqui fieri omnino non potest vt aliquid præstet, quod cum principio non conuenit. Vbi Ptolemęus duo vult inferre, primò vt vnaquæq. res requiratur à loco sibi proprio, vt de vita ab Hylech, de substantia à parte fortunæ, de morum & animi qualitatibus à Luna &c. & non sicut solent ignari veræ doctrinæ à quibuslibet quodlibet. Secundo vult inferrè quod in temporum diuisione, idest in directionis motu obseruandi sint promissores illi, qui ab initio natalis familiares fuerint significatoribus vel eis præsint; nam qui secus exiles effectus, vel solam vmbram, siue boni sint, siue mali demonstrant; id quod semper seruandum est.

Vtrumq. autem præceptum comprehendit idem quod vult Aristoteles, & communiter Philosophi omnes illo axiomate: nihil de nouo fieri, quod prius non existat potentia, & intelligi debet de potentia propinqua: quibus patet artem hanc præclaram fundatam esse et conuenire cum verę Philosophię principijs. Quæ in fine subdit Ptol. pertinent ad tempora decretorum, quæ de se plana sunt, & ex dictis atq. dicendis clarius innotescunt.

CAP. VI.

De Fratribus & Sororibus.



PTolemæus proponit exquirere tantum eos, qui ex eadem matre nascuntur: qua de re significatores, pro subiecto assumit côditionariũ matris, qui inter diu Venus, noctu verò Luna ponitur: atq. adiungit culmen, de quibus hæc habet. *Cum igitur benefica cum hoc loco configurantur, amplum fratrum prouentum pronunciabimus, pro ipsarum Stellarum multitudine iudicium instituentes, & vtrum in signis reperiantur vniformibus an duplicibus.* Iam supra lib. 1. cap. 4. Ptol. dixerat duas tellas Iouem, & Venerem fœcundas esse, & viuificas, duas verò Saturnum, & Martem steriles, & exitiales: Rursus ibidem cap.

10. &

10. & 11. innuit quæ signa bicorporea sint, & quæ fæcunda; nam bicorporea sunt quæ communia; fæcunda verò quæ triplicitatis aqueæ potissimum, causa nimirum copiæ humiditatis, sicut conspicimus Pisses Cancros, & Scorpiones quorum Cœlo signa sunt triplicitatis aqueæ emittere è se fæcundissimã prolem. Igitur si prædicta loca maneant in signo bicorporeo, vel fæcundo, cum familiaritate fæcundorum siderum vberem matris fæcunditatem atq. ideo, amplum fratrum prouentum ex eadem matre pronunciandum. E contra dicit Ptolemæus.

At si malefica super hæc loca attollantur, aut ijs opponantur paucitatem fratrum significant maximè si & Solem complexa fuerint. Quæ diffidentia si in angulos cadat maximè Horoscopum Saturnus quidem primogenitos primouè educãdos curat. Mars verò reliquorum morte fratrum paucitatẽ adducit. Maleficæ eleuatæ supra quoscunque significatores corrumpunt eorum significata, & quoad fæcunditatem si etiam supra Solem vel præsentia, vel hostili radio ad sterilitãtem etiam in patre conducunt: vt non sint oriundi fratres neq. ex eadem matre, neq. ex eodem patre. pro verbo *curat* in opere Saturni intellige *respicit*.

Vt verò appareat quam cocinna & harmonica sit vniuersa Ptolemæi doctrina, videamus quid ipse dicat in cap. 16. huius libri, vbi de vitijs, & morbis corporis agit. *Quando Venus* ait ibi, *constituitur in aliquo prædictorum angulorum maximè in occasu cum Saturno cõgrediens, aut ei configuratur, aut loca motuo cum eo permutans, & super eam attollitur Martis sidus, aut ex opposito ferit, maribus quidem sobolem negat, fæminis verò aboritiones. decernit, crudos partus, ac fætus laceros, maximè in Cancro, Vergine, & Capricorno, ac si Luna in ortu Marti se applicat.* Venerem, & Lunam spectat Ptolem. quæ si à maleficis comprimantur sterilitatem significant: cuius rei ratio est quod Venus Hepati, Luna vuluæ, & stomacho præsunt, sicut in eodem capite docuerat: ab Hepate verò fluit semen, in vulua insuper fætus perficitur; & à stomacho alitur; prauis ergo qualitatibus hæ partes afficiuntur, si à maleficis Venus & Luna hostilibus radijs obruãtur; vnde ad commodum artis medicæ, & medelam exhibendam non fiet arduum summam causam sterilitatis discernere. Hucusq.

cusq. Ptolemæus. requisiuit an natus habeat, vel habebit fratres causa fœcunditatis matris vel etiam patris: Deinde concessis fratribus requirit eorum felicem progressum, partim & vitam dicens.

Si largitores fratrum Planetæ sat pulchrè quantum ad mundi situm attinet, collocati videntur, splendidos, clarosq. promitti existimandum est, si contra humiles, & obscuros. Eamdē doctrinā hic profert Ptol. quam dederat de parentibus quoniam eadem est in cunctis rerum capitibus, sicut iam præmiserat: nam significatores quicunq. si feliciter maneant felicia præseferunt significata. Quoad mundi situm intelligit si sint in proprijs dignitatibus, orientales à Sole, angulares, & cum similibus benignè configurati: Quod si adiungantur fixæ splendentes eo magis: e contra contrario modo.

Si superant largitores, aut ad eos feruntur malefici breuis vitæ, in quibusdam translationibus habentur: *breuis etiam vitæ* in alijs, *non durabiles*. Quare non videtur hic Ptolemæus agere simpliciter de breui fratrum, & sororum vita, de qua iam innuerat, sed de eorum duratione in prospera, & felici sorte de qua agit: vtcumq. intelligat certum est se velle quod malefici, qui vel superant, idest eleuātur supra largitores, vel ad eos feruntur, rescindant felicem sortem fratrum immò & vitam. Vbi verò dicit *mares quidem ab his qui masculini sunt pro mundi situ &c.* dubitare possumus titulo *ab his*, an intelligat largitores, an perditores: de qua re plures translationes vidi, & ex nullis est colligere distinctionem: censeo autem posse intelligi vtrumq adeoquod si largitores pro mūdi situ masculini sint respiciant fratres, si verò fæminini sorores; atque si orientales, natu maiores; si verò occidentales minores; super quos si eleuentur infortunæ vel ad ipsos ferantur, auferant fratrum, & sororum bona, atque vitam. Et possumus etiam intelligere, si malefici masculini sunt tollunt fratres, si fæminini sorores, si orientales priores, si occidentales posteriores iuxta ea quæ dixerat in principio capitis. Videtur autem probabiliori ratione quod largitores declarent fratres, & sorores & siue maiores, siue minores &c. malefici verò modum, & accidentia quibus eos tollunt, quemadmodum dictum est de Parentibus: nam re vera benefici, quoniam fœcundi cau-

 sæ

ſę ſunt copioſæ prolis, malefici verò quoniam ſteriles, et exitiales inhibent, vel tollunt. Ait autem Ptol. pro mundi ſitu, ideſt iuxta naturam quadrantum, & ſignorum, & non meminit inſitæ & propriæ naturæ in hoc capite, quo intelligamus ſexum magis pendere à natura locorum, quam a propria ſiderum.

Ad hæc ſi fratrum authores conuenienter configurati sũt planetæ dominanti ſigno fratrum, beneuolentiam mutuam, animoſq. fraternos tribuũt; ſi parti quoq. fortunæ, vitæ fortunarumq. communicationem, ſi in ſignis nulla neceſſitudine cõiunctis aut contrarium dictis acciderit, contentioſos, & inuidioſos, atq. omninò ſibi mutuo inſidiantes. Signum fratrum proculdubio eſt, in quo manet ſignificator matris conditionarius, ideſt de nocte Luna, de die Venus, atq. ſemper Culmẽ: à quo ſigno cũ alliciatur ipſe matris ſignificator, qualitates & temperamentum matris, tum demum qualitatem quãdam genericam, & communem fratrum oſtendit. Quare ſi largitores conuenienter configurantur cum domino illius ſigni, videtur fieri nexus quidam eiuſdem qualitatis inter fratres, quo in vnione beneuolentiæ conueniant: id quod procedit etiam à Parte fortunę pro facultatũ indiuidua communitate ſi ad ipſam largitores fratrum omnes quacunq. familiaritate iungantur; nam à ſympathia, & qualitatum ſimilitudine beneuolentia inter animos proficiſci ſolet; à diſsimilitudine, & antypathia hoſtilitas.

Quare non erit difficile cognoſcere ſi aliquis fratrum diſſentiat, quis ille futurus; erit enim à largitore promiſſus, qui nõ cõuenit cum cæteris modo prædicto. Quod ſi ſit dominator in natiuitate propoſita, natus hic erit ille diſſentiens.

In fine Ptolemeus proponit è ſingulis largitoribus, tanquam in horoſcopo collocatis de ſingulis fratribus inquirenda peculiaria &c. eodem modo, quam de parentibus dixerat, & nos iam innuimus modum quo diſcribenda ſit cœleſtis figura.



Quo-

CAP. VII.

De Sexu fœtus


Voniam luminaria, & Horoscopus in quo nobis vniuersa sidera oriuntur, præstant vitales qualitates ad coquenda elementa, & corpus mixtum animatum efformandum si ipsa luminaria, & Horoscopus induant masculinum sexum, quod pluribus modis contigit, masculum componunt fœtum: è contra si fœmininum: neq. videatur ridiculum, vel absurdum inter sidera inueniri sexus differentiam; quoniam re vera non sexus, sed virtutes producendi eas qualitates, quæ differentiam sexus afferunt apud fœtum, in eis insunt.

Nam duę qualitates calor & frigiditas actiuę qualitates sũt, humiditas, & siccitas passiuæ, vt sæpius asserit Aristoteles: Cognito igitur vnde fluant seorsim hæ qualitates: illico innotescet causa differentiæ sexus.

Primo Quadrantes Zodiaci, & mũdi: de inde signa; mox pari ratione mansiones cœlestes domorum; rursus habitus erga Solem orientalis, & occidentalis; tandem propria natura erraticarum.

Nam quadrantes ab Ariete ad Cancrum, vbi incipit produci calor; & à libra ad Capricornum, vbi frigiditas, masculi sunt: reliqui à Capricorno, Ad Arietem, & à Cancro ad Librã vbi humiditas, & siccitas, fœminini.

Item pari ratione ab ortu ad Culmen, & ab occasu ad Imum masculi sunt; ab Imò ad ortum, & à Culmine ad occasum fœminini.

Hinc fit quod tum signa. tum Domus qualitatem sexus referunt, videlicet quæ radios habent conuenientes ad puncta illa inceptionis qualitatum: vt Aries, Gemini, Leo, Libra, Sagitarius, & Aquarius sunt signa masculina: Capricornus, Pisces, Taurus, Cancer, Virgo, & Scorpius fœminina. Domus xii. x viii. vi. iv. & 2. sunt masculinæ. Domus xi. ix. vii. v. iii. & prima sunt fœmininæ: attamen prima Domus patitur exceptionem causa crepusculi per cuius totum spatium virescit. Masculi Planetæ sunt Saturnus, Iuppiter, Mars, & Sol: fœminini Venus, & Luna, Mercurius ancipitis sexus prout cũ diuersis

commiſcetur, vel prout induit habitum a quadrantibus; itaut aliquando hermaphroditos reddat vt innuit Ptolemæus c. 16.

Tandem comparatione ad Solē Planetæ matutini maſculeſcunt; veſpertini verò ė contra ad fœmininum ſexum accedunt. Dicit ergo Ptolemæus.

Omnino autem obſeruandum eſt vtrum tria prædicta loca, ijſq. dominantes Stellæ, vel omnes, vel plures maſculina ſint, ad marium ſcilicet productionem, quemadmodū ad fæminarum procreationē fæminina atq. ita demū pronūciandum. Prædicta tria loca sūt Sol, Luna, & Horoſcopus: igitur ſi hæc tria loca, & eorum dominantes planetæ, & vel omnia, vel in maiori parte induāt habitum maſculinū iuxta datā à Ptol. in primo lib. methodum, & à nobis cap. 4. ſignificant maſculum fætum; ė contra fæmininum ſi appareant fæminina.

Maſculina verò, ait, *& fæminina loca Stellaſue indicabimus ſecundum rationem nobis in canone tabularum initio huius operis traditam, à ſignorum, in quibus ſunt, et ipſarum Stellarum natura, & ab eo quem erga mundi cardines habent ſitu. Nam orientales cum ſunt maſculeſcunt: effeminātur occidentales. Præter hæc ex familiaritate, quam habēt erga Solem. Nam matutini cum ſunt, rurſus maſculeſcunt. euirantur autem veſpertini.* Spectanda eſt planetarum natura abſoluta, & quam acquirunt à quadrantibus mundi, à ſignis demumq. reſpectu ad Solem, quæ cūcta Ptolemæus docuit in primo lib. Ex hoc verò loco clarè liquet quod Ptolemæus diſtinguit orientalem, & occidentalem à veſpertino & matutino: adeo quod orientales, & occidentales fiant à quadrātibus prout latè declarauimus cap. 4. matutini, & veſpertini ab ortu ante Solem, & occaſu poſt Solem;

Spectatis igitur omnibus, & ſingulis reſpiciendum ait Ptol. cuius ſexus ſit ſuperatio. Dicit autem quod hæc obſeruatio valet tam in ſatu quam in natali, quoniam vt ſupra dixerat ſemper ſimiles ſunt ad inuicem Stellarum conſtitutiones in his duobus momētis, vt etiam nos quoq. rationē dedimus.

CAP.

CAP. VIII.

De partu multiplici.



Ingula rerum capita à singulis proprietatibus tũ erraticarum, tum signorum instituit Ptolemæus. incipit ergo *In Gemellorum quoq. pluriumue procreatione decernenda, ijsdem duobus, nimirum luminari vtriq. & horoscopo credendum est & cætera.* Vide in textu. Eosdem assumit significatores quos ad sexum cognoscendum præmisit. Quare si luminaria, & horoscopus maneant in signis multiformibus, vel plurium planetarum radijs circumdata, qui bicorporea signa teneant. Rursus vel dominantes planetæ luminarium, & horoscopi habeãt signa bicorporea, & pluribus stellis sint configurati fætum pluralem declarant: maximè vt ego reor si maleficorum aliquis super ipsos eleuetur, vel interponatur: tunc enim non modo fætum multiplicem demonstrant, verum etiam cum aliqua insigni nota: quamuis Gemelli vt plurimum cum aliqua imperfectione nascuntur, eo quod ad multiplicandos effectus debilior se habeat virtus causæ efficientis immediatæ. Vnde iure optimo Ptolemæus in fine capitis ait. *In quibus ferè accidere solet quod non ad frugem perueniant quæ nata sunt, quodq. non sine insignibus corporis notis producuntur.* Rursus ait Ptol. *Quãdo huiusmodi constitutio vna cũ luminaribus non complectitur horoscopi angulum, sed eius loco medij cæli culmẽ hæ matres geminos, vt plurimũ, aut plures concipiunt.* Vides lector quod Ptolemæus ex Gemellorum constitutione inuestigat matris proprietatem, scilicet à loco Culminis, quem supra matri dicauerat. Vbi notandum quod non sufficit Lunam, et Venerem, matris significatores in huiusmodi constitutione multiformi positas esse, sed opus est ipsas poni in Culmine: cum enim plures vna concipere ingens quoddam sit & maximę fæcunditatis effectus, non sufficit Lunam, & Venerẽ multiformem constitutionẽ habere; hoc enim dixerat valere ad solam fæcunditatem sæpius concipiendi, verum ad geminos, vel plures etiam vna concipiendos requiri etiam Culmen, quod multiformem constitutionem habeat; tunc verò ad geminos & plures vna procreandos fętus matres ostendun-

tur

tur fæcundę. Ex quo docemur quod ad multiplicitatē significatorū multiplicantur notabiliter, & augentur effectus, et nō modo in fętibus verū etiam in morbis, atq. in omni rerum genere.

Igitur quandocunq. significatores, & dominantes planetæ inueniuntur in signis bicorporibus, maximè verò in Piscibus, quod signum non modo duplex est verum etiam fæcundum; nā profectò non est animal sub Cęlo prole sic fæcundum vt Piscis, qui vterum minutissimis ouis pari ferè se ipso pondere implet: significat multiplices effectus, et ī quolibet genere, vt circa prolem, circa munera, magisterium, mores, facultates, insuper, & morbos; nā si ī decubitu luminaria horoscopus, & dominātes planetę morborum authores maneant in signis bicorporibus proculdubio pluralitatem morborum ostendunt inesse decumbenti; idquod non modicum iuuare potest medicam artem, & ægris prodesse.

Ptolemeus lib. 4. cap. de facultatibus ait *maximè Ioue occidente in bicorpori signo; tunc enim ad liberorum procreationem deducti alienorum hæredes scribuntur.*

Rursus cap. 5. de liberis. *In bicorporibus, & fæmininis, sitē in fæcundis signis, videlicet Cancro, Scorpione, & Piscibus duas, aut plures.*

Item cap. 8. de itineribus. *Si verò duum corporum, aut formarum continuum, & multo tempore.* In omnibus igitur, & singulis capitibus valet hæc doctrina.

Ptolemæus deinde ad rem nostram inuestigat sexum puerorum à sexu planetarum, qui cum luminaribus, & horoscopo configurantur; docetq. eumdem esse modum, quem dixerat superiori capite. Et nos pari omninò ratione in Decubitu, tum etiam in natali qualitates vniuscuiusq. morbi peruestigare valebimus à natura intuentium Planetarum.

Vbi notandum quod in superiori tractatu de Dieb. Decr. diximus plures Planetas erga moderatores significare morbum mixtum; hic verò dicimus multiplicare: diuersa enim hæc sunt; nam potest eadem pars laborare mixto morbo, nimirum ex pluri qualitate putrescente cōposito; & possunt plures corporis partes vel eodem, vel diuersis grauari: hoc hautem est quod propriè significatur à signis bicorporibus, et à pluribus planetis in eis inuentis; Quamuis possit etiam eadem corporis

ris pars pluribus morbis inter se diuersis affici, qui à signis bicorporibus, & in eis planetis proficiscuntur nam tandem non dissimilem effectum habent plures planetæ vna simul suis familiaritatibus ad moderatorem conuenientes, ab eo, quem ostendunt signa bicorporea.

CAP. IX.

De Monstris.


Onstri nominè Ptolemeus intelligit quicquid ex fœtu mulieris oritur deforme, vt vel excedens, vel deficiens à debitis humanis membris, vel ea obtinet contorta, inuoluta multiplicia, vel quoquomodo deformia, vel tandem ex parte vel in toto non humanam formam, sed alterius animalis præseferentia.

Ad hanc igitur rem Ptolemæus spectat habitum luminarium ad horoscopū, & maleficorum vires: deinde quod proximè precedit nouilunium, vel plenilunium, & erga locum illum luminarium respectum.

Primum enim, àit, *in huiusmodi lumina quidem ab angulis decidentia, et Horoscopo nulla familiaritate coniuncta: anguli verò ipsi à maleficis occupati reperiuntur*. Igitur quod luminaria maneant in Domo 12. 6. 8. & 2. nam in Domo 9. licet cadant ab angulis, attamen inde intuentur horoscopum radio trigono. Atq. tandem quod malefici occupent angulos, vbi vires maximas cum obtineant immoderatis suis qualitatibus, deformitates, vitia, & morbos iuxta morem suum afferunt: cumq. luminaria, & benefici, è quibus manant bona valetudo, pulchra species, & robur, ab angulis decidant viribus prorsus destituti, sua has temperatas qualitates depromere minimè valent. Sequitur ille.

Cum ergo talis quædam occurrit constitutio, quandoquidem illa sæpenumero etiam in abiectis, & infelicibus, licet nentiquam monstrosis genituris incidit: è vestigio inspicere oportet præterlapsam proximè coniunctionem, aut oppositionem luminarium, eiusq. & genituræ gubernatorem.

Gubernatoris nomine intelligit Planetam illum qui plura obtinet ad dominandum suffragia, & tum in præcedenti luminarium familiaritate, tum in genitura.

Si

Si enim genitura eorum lunaq. & horoscopi loca vel vniuersa, vel complura nulla necessitudine cohærent cum prædicta coniunctionis, aut oppositionis loco, id quod nascitur contortum, & inuolutum esse significatur. Titulo genituræ intelligit dominantes in ea planetas, nam in alijs auersionibus exprimuntur: atq. hucusq. vniuersaliter loquendo ponit Ptolemæus vt significent fætum imperfectum esse in genere. Et optima quidem ratio imperfectionis. Quoniam enim duæ illæ qualitates Calor, & humiditas viuentium ortum habent à Sole, & Luna, sicut alibi à nobis probatum est, à quibus qualitatibus dependet forma, & magnitudo corporis: videmus enim quod illæ qualitates per nutritionem augent, & efformant corpus, & eius membra vsq. ad perfectam magnitudinem, & similitudinem suæ speciei; quamuis indiuidua inter se non nihil differant: De primo ad vltimum constat quod forma corporis à luminaribus ortum habeat: re ipsa vidi, quod si luminaria beneficis permixta intueantur benigno radio horoscopum, validam corporis contexturam, & concinnè formatam largiuntur.

Quare si nullo modo choæreant dominus genituræ, & luminaria cum loco præcedentis nouilunij, vel plenilunij significatur imperfectio in fætu.

Quibus addendum omnninò censeo: si in præcedenti nouilunio, vel plenilunio dominentur malefici, & luminaria vel etiam illi sint in signis inhumanis. Et hanc censeo constitutionē requiri tanquam vniuersalem causam, sine qua nullus particularis effectus producitur quoniam nouilunia, & plenilunia causæ sunt ortus, & interitus rerum.

Hic tamen notandum est primò Quod in forma corporis duo spectare possumus, formam seu figuram corporis iuxta suam vniuscuiusq. speciem, & genus; & hæc vocari potest generica; vt forma hominis, Canis, Leonis &c. Secundo formam, & figuram ab huc magis specificam, vt est maris, vel fæminæ, vel iouialis, quæ ciet venerationem, aut venusta, quæ luxum mouet; atq. huiusmodi. In hoc capite Ptolemęus nō loquitur de hac posteriori forma, de qua agit cap. 15. sed de priori magis generica.

2 Notandum id quod alibi etiam diximus Luminaria suis

vel

vel synodo, vel oppositione causas esse generationis contrarug rerum, imò & corruptionis; quoniam illa sunt momenta critica vniuersalia robustissima in rerum natura, ita Galenus in 3. de Dieb. Decr. & prout benefici, vel malefici in eis dominātur tales effectus ad lucem prodeūt: vnde videmus tunc moueri Elementa ad nouam in inuicem trasmutationem rursus generari vermes locutas, & alia similia; item etiam causæ sunt generationis monstrorum.

Tandem opportet meminisse quod in cęlesti Philos. diximus & probauimus: licet sidera agant perpetuo iugiter actione alteratiua: attamen non producunt euidentem notabilem effectum, nisi in proportionabilibus distantijs, quę sunt familiaritates efficaces: vnde & Crises mouentur, & fœtus diuturna vita potitur à mense 7. 9. 10. & 11. vt iam dixim.

Ex his omnibus patet quam optima sit Ptolemæi doctrina in hoc capite: Nam si luminaria non respiciant Horoscopum agitur de defectum complementi & perfectionis formæ, & figuræ: tunc enim neque vitæ moderatores fieri possunt, vt infra videbimus.

Neq. statim propterea sequitur deformitas ait Ptolemæus; quoniam cessat quidam causa positiua perfectæ formæ; verum non est satis; sed requiritur etiam causa positiua deformitatis; qui enim dat esse dat etiam quale quantū &c. propterea requiritur malefica angularis, à qua ipsa deformitas promouetur: fingitur verò, & quodāmodo delineatur ab imaginibus stellati orbis prout subiungit Ptolemæus. Hucusq. ait, sæpenumero contingit etiam in ijs, qui licet non sint monstrosi, vt plurimū tamē humillimā sortem patiuntur: quare subdit aliud necessario requisitum.

Si enim ait, genituræ dominator, Luna, & Horoscopus, vel omnia, vel complura nullam habeāt familiaritatem cum loco præcedentis nouilunij, vel plenilunij, idquod nascitur contortum, & inuolutum esse significatur. sequitur Ptol.

Si igitur his stantibus luminaria in quadrupedibus, aut feralibus signis inueniuntur, duoq. angulis insidentes planetæ malefici, non humanum esse portenditur quod procreatū est. Si beneficorū nullus, seu maleficorum aliquis luminaribus testificetur, prorsum ab humana forma alie-

 num,

num, & quod ferarum agrestem, maleficamq. naturam referat. Ex hoc textu patet quantum valeant imagines stellati orbis in sublunarem plagam, adeo vt ipsas rerum species imprimere valeant.

Notandum hic est cunctis Philosophię propheforibus, quod sicut difficile non est materiam completam videlicet mixtum ascendere ad gradum superiorem, & perfectiorem, vt alimentum inanimatum, fieri substantiã animatã idest per coctionem; ita facile est quamlibet substantiam completam mixtam descẽdere, et degenerare ad gradum ĩferiorem, et imperfectiorẽ, scilicet per deffectũ coctionis imò hoc multo facilius est. Hãc ego censeo esse veram causam propinquam monstrorum in natura, & tam inter animantia sensibilia, quam insensibilia. Vt persępe videmus quod fruges Pira, Mala, Persica &c. deformia, & monstrosa nascuntur, & fiunt; & hoc vel causa subductæ coctionis, & alimenti, vel externi ambientis aeris, nebulæ &c. Item ex frumento sato plerumq. nascitur Lolium vel causa sterilitatis terræ, vel affecti seminis, vel ambientis Aeris, & elementorum. Quapropter rationi consentaneum est ex defectu scilicet coctionis, vel ministerij matris, vel etiam ex vitio seminis quod ex muliere possit naturaliter nasci monstrum, atq. etiam sub forma, & specie brutorum, quorum coctio mixtionis elemẽtorum inferioris perfectionis est quam sit in homine, in quo perfectissima est præ vniuersis corporibus mixtorum. Igitur omnis perfecta coctio, et mixtio à radijs luminarium ortum habet, & sine eorum radijs imperfecta: quod si interim malefici hostiliter obsint apparebit monstrosa: ergo fidelis, & perfecta Crisis in egris à radijs luminarium, vt suis locis diximus omninò ortum habet, & dependet. Vides modo lector, quomodo ferè tota hæc præclara de sideribus Ars ad critica momenta reuocatur.

Cæterum Ptolemęus vltimo loco obseruat luminarium affectiones, quibus si nullus beneficorum, vel aliquis maleficorum testificetur, videlicet vel hostili, vel indifferenti familiaritate omnimodam humanam formam abolet. Subdit verò Ptol.

Si Iuppiter aut Venus respiciat, animantium Dijs consecratorum, vt canum, felium, simiarum, & id genus reliquorum, si Mercurius, vsui humano deuotorum, vt ani-

um, porcorum caprarum, bouum, & his similium. Si benefici intueantur quidem, verum ab eleuatis maleficis superari (quod necessario comprahendendum est; quoniam iam ponimus maleficos angulares) dant formam eorum animalium, in quibus virtus quædam moralis inest ad commodum, & incolumitatem vitæ humanæ: si verò Mercurius eorum, quibus vescimur. Rursus Ptolemæus


Si in signis humanis luminaria deprahensa sunt, reliquis sic habentibus, humana sunt quoq. quæ generantur monstra, formaq. peculiarem in modum perplexa, cuius ratio, & modus ex signorum formis colligitur, in quibus quæ luminaria, & centra occupauerunt maleficæ Stellæ deprahenduntur. In hoc textu Ptolemæus se refert ad ea, quæ infra cap. de vitijs, & morbis corporis docet nimirum vt partes occupatas monstrosa figura, & specie dignoscamus; de quibus nos agemus suo loco.

Si igitur et si nullus beneficorũ testificetur alicui prædictorũ locorũ mutili fœtus producuntur, & re vera monstrosi. Summa infelicitas tandem accidit si beneficæ omninò alienæ sint à luminaribus, & Horoscopo: itaut maleficorum vires omninò præualeant: tunc non dissimile accidit ab ijs, qui non nutriuntur, adeoquod mutilum quoddam, & exanime educatur: quod differt ab ijs, qui non nutriuntur, quoniam huiusmodi dicuntur habere ferè semper luminaria in cardinibus, & cum præcedenti nouilunio, vel plenilunio coherentia etiam cum Horoscopo &c. ideoq. concinnè formati. Rursus Ptol.

Si Iuppiter aut Venus in honore, & in precio habebitur quicquid fuerit portenti &c. etenim hoc aliquid in se continebit, quo respicientes homines vel mirentur, vel delectentur. Si & Mercurius ad hæc accedat, oraculorum, & somniorum interpretes facit ingeniosos, & vafros: sed si solus Mercurius, sine beneficis mutos, & surdos. Mercurius enim linguæ præest, & sensibus quoad id quo species sensibiles recipiunt: quare si super ipsum Mercurium & super cardines, & Lunam eleuentur malefici, mutos & surdos, atq. penè insensibiles efficiunt natos.

CAP. X.

De his qui non nutriuntur.



Vm reliquum sit, incipit Ptolemæus in hoc capite, *ex ijs quæ circa ipsam genituram spectantur, de his qui non nutriuntur dicere: intelligere oportet hanc quæstionem interdum annexam esse illi, quæ de vitæ spatio agit: est enim vtriusq. quod quæritur idem genus, aliquando separatam esse, eo quod ipsius inuestigationis vis diuersa sit. Viuendi enim spacium in ijs consideratur, qui tempus aliquod tulerunt, hoc est non minoribus vna Solis circuitioni. Tempus enim propriè hoc vnius Anni accipitur, potentia vero etiam minus est illo, menses videlicet, ac dies, & horæ. Sed quæ de illis, qui non nutriuntur suscipitur quæstio, in eos tantum cadit qui ob malitiæ abundantiam minoribus temporibus decedunt. Vnde illa quidem magis variam habet pertractationem, hæc verò simpliciorem.*

Quæ tradit Ptolemæus in hoc capite spectant sanè aliquando ad ea, quæ de vitæ spacio postmodum suo loco disquirit; attamen quoniam propriè non dicitur viuere fætus humanus, nisi saltem ad annuam Solis circulationem attingendam producatur; in hoc capite Ptolemæus agit ex professo de huiusmodi fætu, qui scilicet non peruenit ad annuam integram nutritionem.

Et quod hæc tempora inter se in viuente distinguantur, patet ex ijs quæ alibi diximus, & potissimè in superiori tractatu. Cum enim nutritiones, quæ proculdubio coctione per vitalem caloré, & humiditatem radicalem fiunt, quæ qualitates à Sole, & Luna manant, triplices sint, videlicet diurna, menstrua, & annua, & inter has omnium perfectissima, quæ annua: iure optimo Ptolemæus distinguens proponit in hoc capite; an fætus tantam habeat perfectionem mixtionis, et vitalium qualitatum, vt ad annua tempora nutriri possit: etenim sæpè contingit, quod fætus ob malitiæ maleficorum copiam, minoribus temporibus extinguatur. De ijs verò, qui ad annua tempora ingrediuntur, tractatio, magis variam expostulat doctrinam,

vt infra suoloco dicemus: nam requirit loca hylegialia, ipsum hylech, motum Directionis & eius calculum, processus, ingressus, transitus, qui sint interfectores, & plura alia, de quibus non est opus agere in ijs, qui tantum per horas dies, & menses viuunt.

Omnino igitur, si in angulis sit alterum luminarium, & vnus maleficorum illi congrediatur, siue etiam opponatur, idq. partiliter, & secundum figuram aequicruriam, nullo beneficorum affulgente, & gurbernator luminarium in maleficorum locis detineatur, ali non poterit, quod natum est. Coniunctio siderum partilis est quae fit secundum eamdem longitudinem, & latitudinem vsq. ad minuta: itaut se inuicem tangant. Oppositio verò partilis fit per lineam rectam transeuntem per centrum terrae; quare secundum eamdem longitudinem signi oppositi, atq. etiam latitudinem quoad numerum graduum quidem, sed ad contrarias regiones, vt si vna sit meridionalis, altera fiat borealis.

Vocat autem huiusmodi radios secundum figuram aequicruriam; nam figura ęquicruria est quae habet crura aequalia, vt est triangulum Isosceles: Igitur vbi sidera vel iuncta sunt, vel opposita secundum eamdem longitudinem, sed per latum habeat aequalem ab Ecliptica distantiam, & in coniunctione versus eamdem regionem, in oppositione verò ad contrariam, dicuntur iuncta, vel opposita secundum figuram aequicruriam.

Caeterum huiusmodi familiaritates omnium validissimae sunt; quoniam in primis de se coniunctio, & oppositio prae caeteris robustissimae; vti diximus in alio tractatu. Deinde per figuram aequicruriam, vna simul oriuntur, & occidunt sidera coniuncta; atq. si opponantur oriente vno occidit alterum. Quare praeceptum hoc de partili familiaritate in longum, & latum valet in cunctis capitibus ad efficaciam.

Cumq. à luminaribus fluant qualitates vitales à quibus pendent nutritionis munera; si alterum eorum talem patiatur à malefico laesionem, absq. benefici auxilio, signum est eius luminaris qualitatem vitiatam, & affectam esse praua illius malefici natura, vt ad nutritionem obeundam prorsus inhabilis reddatur. Huiusmodi verò solent nasci cum dificultate partus, colore nigro, si quidem officiat Saturnus, si verò Mars igneo,

atq.

atq. species nequaquam apparebit formosa, ipsa corporis membra haud concinnè disposita, vel carne repleta: tandè si partus fiat de nocte non sine graui discrimine vitæ Matris, vt suo loco diximus. Addit verò conditionem Ptol.

Et gubernator luminarium in maleficorum locis detineatur. Quibus verbis censeo quod Ptolemęus intelligat maleficos dominari gubernatori luminarium maximè verò per hostilem radium: Mam è contra si in robusto, & felici situ insideat, luminarium vices assumit ad vitam sustinendam, si tamen sit vna ex beneficis, maleficis enim nullam præsto fidem ad hanc rem.

Ad hæc non superuiuet natus & si non iuxta figuram æquicruriam hoc accidit, sed è propinquo applicent maleficorum radij ad luminum loca, duæque malefica vel vtrique noceant, aut secundum successionem, aut oppositionem partiliter alteri luminari altera; aut si vna quidem ex opposito, altera successione obsit, minimè diuturnum erit quod producitur. Vult Ptolemæus quod coniunctio, & oppositio secundum figuram æquicruriam vnius tantum malefici erga vnum tantum luminare, maximè censeo ego si sit conditionarium, sit tanti roboris, vt æquiualeat læsioni amborum luminarium per longum tantum quomodocunq. contingat. Subdit verò.

Cum prauitatis magnitudo demoliatur quicquid ad vitæ diuturnitatem succedentis malefica distantia facere videbatur.

Notand. in hoc loco, quod si vnus maleficus obsideat significatorem quemcunq. partiliter, alter verò maleficus succedat, sed à remotiori loco etiam si radij lucis sphęrę actiuitatis eius non attingant significatorem; nisi interponantur radij beneficorum; significator ille in summo infelici statu manet ad sua decreta; per inde namq. se habet ac ciuitas à longè ab vno hoste obsessa, & intus ab alio trucidata: quod si radij succedentes attingant illum, quò de propinquiori loco eò deterior est, & magis violenta constitutio. Et hoc est quod vult Ptolemæus hoc loco atq. vbi agit de morte violenta, & intelligit tam in radice natalis, quam in loco occursus; quicquid dissentant alij professores.

Quod

Quod si ad rem nostram succedat maleficus, & nullus alius lædat partiliter ipsum luminare, poterit prorogare vitam pro ratione distantiæ, de qua postea subdit.

Rursus notandum: si vnus maleficus officiat partiliter vno luminari, alter verò succedat alteri: hoc idem valere, ac si constitutio hæc erga vnum, & idem se haberet; quoniam luminaria, vt collegæ quodammodo se habent ad præstandam vitam; eo modo, quo calor, & humiditas vitales, quarum qualitatum luminaria sunt causæ.

Tandem sciendum quod Ptolemæus docens à maleficis per congressum, & diametrum erga luminaria exstingui pueri vitam; tacitè insinuat id contingere posse per alias etiam familiaritates videlicet per quadratum, & parallelos; atq. non tantum in Zodiaco, verum etiam cosmicos: Quod res ipsa docet, vt est videre in infra expositis exemplis; & nos sæpius vidimus.

Insigniter verò obest per successionem vt Soli Mars, ita Lunæ Saturnus. Contra per oppositionem, & eleuationem Soli Saturnus maximè incommodat, Mars Lunæ, potissimum si eadem possident cum gubernatoribus luminarium, & Horoscopi loca. Huius differentiæ causam censeo esse, quod per coniunctionem iungitur, & additur ad excessum calor calori, & frigiditas frigiditati: at verò per hostilem familiaritatem, & eleuationem, quęcunq. ad inuicem contraria secundum naturam sunt se se mutuo exasperant duplici contrarietate, seu hostilitate pugnando ad corruptionem, & interitum. scilicet causa contrarietatis propriæ naturæ & locorum Zodiaci, & mundi; loca enim opposita contrarios habent influendi modos, vt sæpius diximus. Maximè, ait, si maleficæ gubernatoribus quoq. luminarium officiant, & Horoscopi.

Hic verò non prætereundum addere id quod alibi diximus. Si Luna deficiat tenui prædita luce, magis à Saturno læditur; si verò ad plenitudinem augeatur magis à Marte. Ita similiter Sol, & etiam Luna à Saturno si quadrantes frigidos lustrent; & à Marte si calidos: quæ cuncta in omnibus, & singulis capitibus, & decumbentibus accurate spectanda sunt.

Si verò duæ accidant oppositiones luminarium in angulis agentium, & maleficorum secundum figuram æquicruriam

cruriam, mortuus aut semiuiuus infans educitur. Cum enim hæc constitutio summam hostilitatem, & vires comprehendat maleficorum erga luminaria summã ad vitam parit infelicitatem.

His ita constitutis, addit Ptolemæus, *si defluere luminaria contingat ab aliquo beneficorum, aut alioqui illi configurari, itaut radij in partes præcedentes iaciantur, superuiuet natus pro numero partium interiectarum inter luminare, & radios malefici proximè, totidem videlicet mensibus, vel diebus, vel horis etiam, pro magnitudine prauitatis, & maleficarum Stellarum vi.*

Ex hoc præcepto respondemus ad argumentum illud quod Mirandulanus contra vniuersam hanc scientiam opponit. ait ipse.

Sidera si agunt vt veræ causæ efficientes, non vt pura signa ostendere possunt suos effectus: igitur si infans mortuus est, vel si fœtus masculus, vel fœmina, vel multiplex &c qui proculdubio effectus existunt ante natalẽ. horum effectuum non potest esse causa efficiẽs constitutio siderum natalis, quę posterior est, quam sit effectus: ergo neq. purum signũ. ergo nullo modo. Resp. Quod sidera agũt modo successiuo, per tempus quo deducũt ipsum fętum ad maturitatẽ, & partum ad momenta critica: porrò momenta critica habent relationem semper ad initium, & in hoc casu ad satum, vt iam diximus. Igitur si contingat luminaria defluere à beneficis iam supponit Ptolemeus luminaria per præcedentem influxum prius affecta esse temperata natura eorumdem beneficorum, qua aliqandiu possint prorogare vitam pro numero partium interceptarum inter ipsa luminaria, & radios maleficorum succedentium: ait verò per mẽses, vel dies, vel horas iuxta robur prauitatis maleficorum.

Similem tradit doctrinam Ptolemæus cap. vlt. lib. 4. in quo docet modum inuestigandi tempora effectuum dicens. *Ac primum sanè tempus in singulis moderationibus illi dabitur, qui Aphæticum locum corpore occupat, vel radijs. Quod si nullus fuerit, asciscemus proximè antecedentem ad eum vsq. qui proximè succedentem aspicit partem, deinde hoc vtemur vsq. ad proximum &c.* Vides lector quod Ptolemæus in cunctis modis agendi siderum sequitur mo-

modum succeſſiuum, quoniam re vera ſidera non niſi modo ſucceſſiuo agunt, qua ſucceſſione qualitatum gradus producunt qui non niſi modo ſucceſſiuo, & per tempora generari poſſunt, & ad intenſiores gradus duci, iuxta Philoſophorum omnium placita.

Nunc ad rem propoſitam in textu Ptolemæi noſtri capitis notanda ſunt tempora horarum, dierum, & menſium; inferũt enim quemdam motum Directionis, ſed breuiorem, & proportionalem ad corporis prauum temperamentum, & leuem perfectionem coctionis, & mixtionis: Nam ſicut re ipſa videmus, animalia imperfecta, cauſa imperfectæ mixtionis, vt muſcæ, locuſtæ, & brucus &c. huiuſmodi non viuunt per annuos Solis circuitus, ſed tantum per dies, & menſes, vel etiam per horas: ita contingit in infanti ſi in ipſo mixtio cruda ſit & imperfecta, cauſa nimirum roboris malitiæ infortunarum, quorum vires quò validiores ſunt in luminaria, eò inferiora tempora ſunt colligenda vſq. ad ſolas horas: de qua re prudenter conſulendum eſt, & iudicandum.

E contra ſubdit Ptolemæus. *Verum enimuerò ſi maleficarum radij ad præcedentia feruntur loca, beneficarum ad ſequentia, quod in lucem aditum eſt conualeſcet ac viuet.* Etenim quæ ſequuntur ideſt applicant robuſtiora ſunt, quoniam ſucceſſiuè augetur eorum vis actiua per appropinquationem; quæ verò præcedunt ideſt ſeparantur debiliora ſunt contrariam ob cauſam.

Ac rurſus ſi quidem malefica ſupra configuratas in genitali conſtitutione beneuolas Stellas euehuntur, viuet in pœnam, & ſubiectionem. Ex hoc loco colligere poſſumus quæ ſit conſtitutio ſeruitutis remigij, carceris &c. Nam maleficæ eleuatæ ſupra beneficas denegant libertatem, & augẽt labores, maximè ſi & luminaria complexæ fuerint: Docemur quoq. modum agendi ſiderum in omni genere, quæ enim Planetæ benefici per ſuam familiaritatem erga moderatores promittunt, & afferunt bona, iuxta ſuam naturam, & moderatorum proprietates; ſi ipſi benefici feliciter & robuſta libertate ſe gerant, felicia, ingentia, & libera donant: ſi verò ſuper ipſos euehantur malefici, omne bonum cum ſubiectione, imò & ſubductione largiuntur, eodem prorſus modo, quo ſe

habent. Vnde patet verum esse quod in cœlesti Philos. lib. 1. cap. 7. dixi nimirum quod proprietates, & passiones effectuũ, sequuntur eas quæ inueniuntur in Astris.

Quid autem sit eleuatio siderum super sidera iuxtam meam rationem sæpius exposui: fit enim inter duo sidera, quæ sibi inuicem familiaria cum sint illud quod robustiores habet vires dicitur eleuari supra alterum quod debilius est, quocumque modo id contingat, attamen beneficus de benigno radio, maleficus de hostili, vel indifferenti: nam nõ prodest beneficus de hostili; neq. obest maleficus de benigno quoad eleuationem. Rursus Ptol.

Si contra hæ extollãtur supra illas (videlicet beneficę supra maleficas, & cum eadẽ conditione quod radij beneficorum ad luminaria sequantur, idest applicent, maleficorum verò *præcedant* idest separentur) *expositum alijs parentibus subijcietur*. Beneficæ eleuatæ super maleficas cum eadem conditione, præbent sortem vitæ apud alios parentes, idest consanguineos. *Ac si beneficorum quispiam vel cooritur, vel applicat Lunæ, maleficorum verò occidit aliquis ab ipsis parentibus* idest consanguineis, *in libertatem redditum, filiorum loco enutrietur*. Occidente malefico, siue censeo in occidentali quadrante inuento quopiam, et applicato benefico ad Lunam potissimè verò vtroq. existente orientali maximè si sit Luna lumen temporis adoptionem significat.

CAP. XI.

De locis Aphaticis.



PTolemæus acturus de vitæ spacio videlicet eorum, qui per annuas Solis circulationes viuunt; cum in vitæ moderatorem, siue dicamus prorogatorem non possint assumi, sicut ipse docet cap. 11. nisi luminaria, Horoscopus, Pars fortunæ, & horum gubernatores: atq. nec eorum quodlibet nisi obtineat congruentem in Cœlo locum: primum in hoc capite definit qui sint loci ad hanc rem apti, quos Aphæticos & hylegiales vocat: ait ergo.

Primum sanè existimandum est esse Aphatica loca, in quibus omninò reperiri necesse est eum, qui velit vita gu-

gubernanda iurisdictione potiri, vt circa Horoscopum à quinis partibus prius supra finitorem emergentibus, vsq. ad vigintiquinque reliquas succedentes.

Per hæc verba Ptolemęus insinuat vniuscuiusq. domus mensuram; adeout quælibet habeat gradus quinq. præcedentes, cuspidem, & vigintiquinq. sequentes: cuius rei ratio nulla alia apparet, nisi quod cum domorum mansiones, siue dicamus diuisiones, & metæ non existant, neq. ponantur in Cœlo nisi per Astrorum radios in mundo, vt latè alibi disseruimus; quoniam sidera habent gradus quosdam sphæræ suæ actiuitatis ratione talis sphæræ, non separantur à cuspide Domorum, nisi post aliquot gradus. Et cauendum quod cum Domorum spatia diuersam in infinitum habeant mensuram graduum; Ptolemæus in hoc loco & sub prædictis verbis accipit mediam, quæ computatur in Aequatore, videlicet grad. 30. per quam cum proportione raciocinando omnes alias differentias ferè cognoscamus. Sequitur verò Ptol. enarrare quæ sint aphætica loca dicens.

Et qui has tricenas partes dextris hexagonis radijs contingit, qui boni dæmonis locus dicitur, & qui tetragonis, nimirum cæli supra terram fastigium; & qui trigonis, qui Deus appellatur, & qui oppositis his, nimirum qui in occasum preuoluitur.

Igitur loca aphætica sunt Domus orientis, xi. x. ix. & vii. Per hæc verò Ptolemæi verba primo docemur contingere efficaces irradiationes etiam circa mũdum ad cardines, & domus inter se, & de consequenti etiam inter sidera à prædictis locis, quos radios in mundo, & cosmicos appellamus, de quorum reali virtute, & efficatia alibi satis dictum, & demonstratum est à nobis. Deinde quod in locis coniunctionis, sextilis, Quadrati, Trigoni, & oppositionis contingant veræ, & efficaces Crisces. Cum enim in oriente incipiant nobis lucere, & influere qualitates vitales; hæ qualitates non sunt efficaces, nisi in prædictis familiaritatum locis: Vt scilicet cognoscamus in omnibus luminarium circuitibus, atq. in omni rerum genere contingere veras, & efficaces Crises, & non nisi in configurationum locis.

Reijcit verò omne quod subterraneum est spacium ab hoc

munere, excepto oriente, vbi ait ipse, ad nostram lucem emergunt sidera. Quare censeo re ipsa fultus, luminaria, nisi maneant in spacio crepusculorum, vnde iam nobis lucent, sub terra non fieri moderatores vitæ. Quoniam opus omninò est, vt qui in vitæ moderatorem assumitur, nobis luceat.

Dicit verò quod nona Domus appellatur Deus, videlicet propter quamdam excellentiam; habet enim nona Domus trigonum, qui est radius summæ amicitiæ, & bonitatis ad horoscopum, eodem prorsus modo, quo signum Leonis ad Arietem: vnde sicut Leo dominatur Cordi, quod sedes est, & fons vitalis caloris in viuentibus; ita nona Domus cordi præest iuxta ea quæ alibi demonstrauimus: & ob hanc rationem censeo, quod antiqui professores dixerint in nona Domo gaudere Solem.

Ex hoc etiam capite cognoscimus qui sint radij dextri, & qui sinistri, quorum sæpius meminit Ptolemæus: nam iuxta motus successionem, quæ præcedunt sidera, quoniam augent, imò auctum habent numerum motus, & ex eo qualitates, dicuntur proijcere radios dextros ad eos, qui sequuntur, & minorem habent numerum motus: Quare ad horoscopum radij dextri sunt desuper terram, nimirum à locis nobilioribus, sicut docet hic Ptolemæus; sinistri de sub terra, & ita secundum hunc ordinem ad omnes Domus, & planetas, dico quoad mundum, & cosmicè. E contra in Zodiaco in quo motus est contrarius signa sequentia proijciunt radios dextros ad præcedentia; vt Aries habet quadratum dextrum ad Capricornum, sinistrum ad Cancrum, & sic de reliquis omnibus.

Ex ijs etiam, quæ supra terram extant, neque illum locum, qui nullo familiaritatis vinculo cum Ascendente cohæret accipere conuenit, qui Argos, id est piger Græcis dicitur, neque eum qui prius exortus erat, qui mali dæmonis appellatur, quoniam Astrorum ibi commorantium in terram effluxus, cum etiam ab angulo præcipitentur, turbat, ac veluti abolet, quæ terræ humoribus nascitur fumosa tenebricositas, qua de causa suis neq. coloribus neq. magnitudinibus apparent. Re vera Domus duodecimæ infirmitas non procedit à vaporibus; nam etiam septima Domus patitur has passiones, cum tamen sit angulus validus;

sed

sed quoniam nullum habet ad horoscopum radium, quemadmodum octaua Domus, in qua non accidunt passiones illæ at tamen data hac conditione quod Domus duodecima nullum habeat radium cum Horoscopo, passiones illæ non modicum addere possunt infelicitatis.

Deinde Aphætas, siue vitæ gubernatores accipere oportet non quosuis, sed præcipua genituræ loca Solis nimirum, & Lunæ, Horoscopum, partem fortunæ, & horum gubernatores. Hos tantum. & nullum alium accipere debemus in vitæ gubernatores modo & ordine, quem infra docet Ptol. Cum verò inter hos connumeret etiam fortunæ partem, in sequenti capite docet quid sit, & qua ratione sumi debeat.

CAP. XII.

Quid sit luminaris Horoscopus, qui & Pars Fortunæ dicitur, & quomodo collocandus.



PTolemæus in definiendo partis fortunæ loco incipit more suo docere modum quemdam intellectu facilem nimirum per signorum successionem, quò intelligatur verus, quem postea clarioribus verbis exponit. Incipit ergo Ptol.

Fortunæ quidem partem colligimus vbique nocte, non secus ac die. hæc vt reijciat antiquorum quorumdam sententiam, *ex numero partium interceptarum inter Solem, & Lunam, si totidem partes ab ascendente signo, iuxta signorum consecutionem abijciamus, quo tunc sanè euaserit supputatio, eam signi partem, eumq. locum dicimus fortunæ sortem continere.* nominat signa Ptolemæus, & eorum consecutionem, non quia velit fortunæ partem circumuolui, & consistere super ipsa signa, & super viam Zodiaci, sed vt ostendat ipsam consecutionem, successionem & ordinem; vnde quo melius intelligatur sua mens subiungit declarando dicens: *Vt quam rationem, siue configurationem habet Sol ad orientalem finitoris partem, eam habeat & Lunam ad partem fortunæ, & sit veluti lunaris quidam Horoscopus.* Igitur pars fortunæ poni debet distrare à Luna, sicut distat Sol ab Horoscopo: & sicut Ascendens est Horoscopus Solis, ita Pars fortunę sit Horosco-

pus

pus Lunæ: qua data definitione, & declaratione, cum certum sit, quod Ptolemæus in superiori capite accepisset radios ad Horoscopum, siue dicamus distantias proportionales non in Zodiaco, sed in mundo pro domorum distantia proculdubio sequitur, quod in hoc etiam loco pari modo intelligat distantias Solis ab Horoscopo, & Lunæ à Parte fortunæ, idest in mundo, in parallelis, & non in Zodiaco: & confirmatur ex eo quod dicit Partem fortunæ esse velut Horoscopum lunarem.

Verum si fieri potest perquiramus rationem primariam huius Partis, quam nonnulli vt inanem reijciunt. In primis certum est quod tempus diurnum pertinet ad ius Solis, nocturnum verò ad ius Lunæ: hoc autem Ptolemæus sæpius affirmat, & obseruat in toto opere, atq. exemplis nataliuni, & decumbentium à nobis exhibitis confirmatum apparet. Nocturno igitur tempore Luna obtinens ius producendi, suas qualitates, nimirum humiditatem fæcundam viuentium &c. eousq. producit, quo Sol oriatur. tunc enim sol imperare aggreditur, vnde fit quod vbi Luna cedit iuri suo, ibi metam, & summam qualitatem totius suæ actionis, & iuris relinquat. Hoc enim vnum certum, & verum est, quod Astra influunt duplici motu, scilicet particulari in Zodiaco, & vniuersali in mundo: & sicut dum mouentur in Zodiaco describunt ibi circulos sui modi influendi, quibus realiter influunt; ita dum mouentur motu vniuersali describunt circulos parallelos sui modi influendi hoc motu vniuersali: igitur distantiæ siue sint proportionales, siue non, motu quidem vniuersali accipi debent in ipsis parallelis, eodem prorsus modo, quo accipiuntur in Zodiaco iuxta eorum ibidem motum, & orbitam; de qua re latè disseruimus in Cœlesti Philos. Quare si Luna distare debet à Parte fortunæ eadem distantia, qua Sol ab horoscopo, cum Solis distantia ab Horoscopo fiat in paralello sui motus vniuersalis: ita etiã fiat distantia Lunæ à Parte fortunæ in paralle'o sui motus vniuersalis necesse est.

Sed dicet aliquis, Si res ita se habet Pars fortunæ potius collocari deberet vbi Luna manet occidente Sole, quo tempore incipit suo iure fungi: ad Quod Resp. P. Quoniam sidera agunt successiuè, & semper augendo suas qualitates, robustiorem gradum Luna suæ qualitatis in fine, quam in exordio suæ actionis producit.

Præte-

Præterea ad hanc Partem collocandum concurrit etiam Sol, qui dum oritur vniuersum Horizontem incipit sua fæcunda luce viuificare; nam eam relationem, quam habet Sol ab ortu, eamdem habet Luna à Parte fortunæ: atq. insuper eam relationem habet Pars fortunæ ad Horoscopum, quam habet Luna ad Solē, qua mutua proportione, locus Partis fortunæ euadit magni roboris, eodem ferè modo, quo efficaces sunt configurationes Astrorum ratione proportionalis distantiæ: qua efficacem gradum suarum quantatum producunt, atq. ideo notabilem effectum.

Ex quibus omnibus eò magis roboratur nostra sententia, quod nimirum Pars fortunæ collocari debeat in eo loco secundum longum, & latum accepto in mundo, idest in ea eadem distantia ab ortu, & altitudine ab Horizonte, in qua ponitur Luna oriente Sole, & quod ibi prorsus immobilis consistat, quamuis tum Sol, tum Luna circa mundum progrediantur ad alia loca.

Attamē quoniā Luna motu particulari horario in Zodiaco successiuè progreditur, & ipsa Pars fortunæ, eodem, quo ipsa Luna mouetur; itaquod maneat semper in eo loco, in quo Luna manet si ponatur Sol in ortu seruatis locis Solis, & Lunæ non quidem temporis præcedentis exortus Solis, sed erectæ figuræ.

Rursus si Pars fortunæ collocatur à Luna oriente Sole, quando postea mouētur ipsa luminaria, nulla apparet ratio, qua ipsa Pars fortunæ è loco illo in latum, & per Declinationem à regione Austri ad Borealem vel è contra moueri debeat, videlicet iuxta signorum australium, & borealium successionem, si super Zodiacum perpetuo commorari, & progredi censeatur: iam enim Luna discedens à loco illo describit successiuè parallelum: quemadmodum & Sol à puncto sui ortus, & secundum hunc successiuum motum, & locum, seu circulum nobis influunt; qui proculdubio circulus influxus realis est, & in natura positus. Remanet ergo quod Pars fortunæ consistat immobilis sicut diximus.

His stantibus locus Partis fortunæ collocari debet hoc modo. Sumatur Ascensio obliqua Solis ad datum Horizontem regionis; deinde Ascensio obliqua Horizontis erectæ figuræ, &

& perpetuo detrahatur Ascensio obliqua Solis ab Ascensione obliqua Horizontis, mutuato integro circulo si sit opus, quod reliquum est addatur ad Ascensionem rectam Lunæ, & summa hæc erit Ascensio recta Partis fortunæ; Quæ semper habebit eamdem Declinationem, quam habet Luna, in eodem enim parellelo collocatur, & permanet semper. Faciliorem calculum quamuis non ita exquisitum, sufficientem tamen pro figura decubitus dedimus in alio tractatu.

Cæterum quoniam ex hac methodo sequitur quod Pars fortunæ non consistat, & non progrediatur super Zodiacum, sed super parallelum Lunæ, consequens est quod radij, & familiaritates Planetarum ad illam non fiant in Zodiaco, sed in mundo; quamuis non sit negandum quod signum coascendens, vel cōdescendēs atq. etiam sidera fixa plurimum valeant ad qualitates inferendas ipsi Parti fortunæ, tum etiam causa dominij Planetarum in ipso signo.

CAP. XIII.

Methodus eligendi vitæ moderatorem.



DE modo cognoscendi cui nam ex Astris debeatur ius moderandæ vitæ dictum à nobis est in tractatu superiori, ibiq. allata, & declarata sunt Ptolemei præcepta: nihilominus tamen, vt hæc methodus magis clarescat, non pigeat eam denuo illustrare.

Et sanè profectò cum in animatis quibuslibet vita adeo referat, vt si ipsa pereat cum ea pariter vniuersa, quæ à vitæ calore, tanquam à principe fonte post animam dimanant in nihilum mergantur; opus omninò est ipsam vitam pendere ab Astris, & locis robustioribus, & nobilioribus, qui sint in Cęlo: Ideoq. primo Ptolemęus vult, quod vitæ moderator possideat Cœli locum fulgentem, qui est emisphærij superioris nobis apparentis, quiq. actiuæ, & diurnæ conditionis, quoniam vita est actio præcunctis nobilissima, & præbet lucem viuentibus.

Hinc verò emanat alia ratio addenda ad sententiam, quam proposuimus in primo tomo cap. 23. nimirum quod partes superiores animalis subijciantur domibus Cœli superioris hemisphęrij: quæ sententia recens est, & contra communem profes-

professorum etiam antiquorum doctrinam; ratio verò talis est. Quoniam in animali primi vitæ fontes & potentiæ resident in partibus superioribus corde, capite, pectore, & ventre; adeo quod sine pedibus, sine tybijs, & sine coxis viuat: at verò sine capite, sine pectore, & sine ventre nullo modo possit viuere: Si Ptolemæus reijcit à vitæ gubernatione omnes domus subterraneas; & assumit tantum supraterraneas; argumentum est quod ipsę domus superiores præsint superioribus corporis animalis partibus, & eorum potentijs.

Deinde Ptolemæus decernit hunc locum configuratum esse cum Horoscopo ad præstandam scilicet validam Crisim; etenim accensio vitalis caloris est Crisis præstantissima; Quæ loca superiori capite dixerat esse Horoscopum, & Domus xi. x. ix. & vii. quæ configurantur cum Horoscopo ad efficacem Crisim, sicut diximus in alio tractatu, non contingere veras Crises nisi in configurationum locis.

Item Ptolemæus non assumit quodcunq. sidus indifferenter, sed per ordinem virium, & iuris, præponendo semper quæcunq. validiora, & nobiliora sunt: ideoq. per diem præferendum esse Solem, vtpote ipsius diei authorem, quiq. præ cunctis Astris robustissimus est, & in viuentibus inserit potissimè vitalem calorem, a quo post animam effluunt omnia munera vitæ.

Hic igitur si maneat in vna ex prædictis Domibus, proculdubio, & sine aliqua exceptione moderatoris vitæ munia sibi arrogat & assumit. Si verò Sol per diem ponatur in Domo duodecima, vel octaua, à quibus Domibus nulla fieri potest crisis; tum respiciendum est ad Lunam, quam vt Hyparcum, idest subprincipem vocat Galenus in 3. de Dieb. Decr. cap. 2. quæ si fulgeat in vno ex prædictis locis, ipsa sufficitur in moderatricem vitæ, Solisq. vice fungitur. Si tandem, neq. Luna possideat aliquem ex prædictis criticis locis tunc, Ptolemæus præcipit obseruandum Planetam illum, qui obtinet tria vel plura suffragia dominij ex quinq. alibi assignatis, vel in loco Solis vel Horoscopi, vel in loco proximi elapsi nouilunij, etiam si immediate præcesserit Plenilunium: si hic Planeta maneat in loco Aphetico, ipse sit vitæ Moderator. Censeo tamen quod sit opus hunc Planetam esse debere vnum ex beneficis;

nam si fit maleficus, nunquam credam posse moderarę vitam; Si neque inuenitur aliquis huiusmodi qui vitæ moderationem ineat, tunc Horoscopus vitæ moderationem assumit in quo nimirum dies exordium suum habet, & in quo oriuntur omnia sidera.

At verò nocturno tempore, in quo Sol cum nobis minimè luceat, (nisi maneat in spatio Crepusculorum, tunc autem iam nobis incipit lucere;) non potest hanc preclaram vitæ prouinciam expetere. Si Luna ponatur in vno ex prædictis locis criticis, ipsa fit vitæ moderatrix quippequæ nocturni temporis iura possidet, atq. Solis vice fungitur. Si vero neq. Luna de nocte ponatur in loco Aphætico, neq. Sol afferat lucem Crepusculi, obseruandum planetam dominantem in loco Lunæ præcedentis Plenilunij, & in loco Partis fortunæ tribus saltem suffragijs, vt supra diximus; hic obtinens locum Aphæticum fit vitæ moderator: sin minus videndum, an Pars fortunæ, de qua in præcedenti diximus, inueniatur in prædictis locis Aphæticis; ipsa tunc euadit vitæ moderatrix; si tandem neque Pars fortunæ obtineat hanc dignitatem, eo quod vel maneat infra terra etiam in Horoscopo, vel in Domo xii. vel viii. ad Horoscopum vltimo loco confugendum esse docet Ptolemæus. Qui tandem subiungit; si ambo luminaria & propriæ conditionis gubernator in locis Aphæticis maneant, hic sumendus est, qui prę omnibus maiores habet vires: imò ipse gubernator præferendus est luminaribus si honorificentiorem occupat locum, & dominatur vtriq. conditioni, idest Solis & Lunæ &c.

Notandum igitur hic est primò vt dixi opus esse quod gubernator sit vnus ex beneficis, atq. sit motu directus: nam censeo omnino, quod maleficus, vel retrocedens non possit moderare vitam: alioquin incidimus in difficultates maximas. Secundo, loca honorificientiora, & maioris roboris esse cuspides angulorum; & angulum Horoscopi quoad rem huius capitis omnium potentissimum, inde Culm nis, vltimo Occasus. Tertio dico quando luminare conditionis intuetur Horoscopum radio ferè partili Trigono, quadrato & opposito, qui viribus potentiores sunt, nihil vltra spectandum; Si verò radio debili maximè in ingressu Domus xi. & vii. vbi radij

dij nondum videtur efficaces ad perfectam crisim; si quispiam aliis ex prædictis robustior, maximè à centris cardinum inueniatur, ipse fieri possit vitæ moderator, siue sit Sol, siue Luna, siue Planeta gubernator vtriusq. siue Pars fortunę de nocte: & hanc censeo esse verum sensum verborum & mentis Ptolemæi. Nimirum data virium debilitate ad plenam crisim in ijs, ad quos primò, & principaliter attinet vitæ moderatio, si dominatores sectarum sint benefici, & directi, atq. possideant robustum locum Aphæticum excepto tamen in Horoscopo si nondum emerserint; quinq. enim erraticæ non afferunt lucem crepusculi: opus autem est qui Aphæticam dignitatem exoptat, quod apud nos appareat. Verum enimuero nunquam hactenus vidi de hoc casu Exemplum imò dato dominante sectarum, & posito in loco Aphætico iuxta præscriptam methodum; nihilhominus tamen, vel luminaria, vel Horoscopi apparuerunt vitæ moderatores, & ex directionum calculo manifestasti sunt.

CAP. XIV.

Quæ sint vitæ moderandæ rationes.



IN hoc capite quamuis Ptolemęus ex professo agat de supputando tempore futurorum accidentium ad vitam, & valetudinem spectantium; attamen eadem omninò methodus inseruit ad supputanda tempora in quolibet rerum genere, sicut ipse docet in vltimo capite lib. 4.

Meminisse autem oportet quod sæpius diximus, ad singulos omnis generis effectus prius accipiendum esse subiectum passibile, seu dicamus moderatorem, cui ex natura sua incumbat genus rei quæsitę, vt est pro vita Hylech electus secundum preceptum Ptolemęi iam expositum pro animi qualitatibus Luna pro substantia Pars fortunæ: pro magisterio Culmen &c. huiusmodi verò vocantur significatores moderatores, Prorogatores, præcedentia loca, alijsq. nominibus: Quoniam ad ipsos pertinet subiectum genus rerum prorogare, & moderare ad futura tempora. Ad rem igitur huius capitis Aphætam sumere debemus.

a Cauendum. Quoniam prorogatio per tempora est ens

quoddam successiuum, opus omninò est quod huius effectus prorogationis detur causa, quæ successiuè agat; Nam, vt bene quoad hoc Mirandulanus arguit; Causa quæ præcessit non potest producere effectum de præsenti; quare neq. causa, quæ fuit in instanti effectum deinde successiuum; quoniam effectus successiuus in sui qroductione expostulat causam successiuè agentem.

3 Sidera agunt semper modo successiuo, ratione scilicet successiui motus: quo lustrant Cœli spatia, & quartas, è quibus pro varietate modi influendi emanãt quatuor primę qualitates, vt iam diximus.

4 Quod modus hic successiuus agendi moderatoris, de quo loquimur, consistit in præordinatione ipsius effectus successiui, quæ preordinatio quomodo fiat, atq. demum statis temporibus exeat ad suum actum, satis à nobis declaratum est in cęlesti Philos.

Ex his sequitur, quod significatores non moderantur, neq. prorogant vel vitam, vel alios quoscunq. effectus, nisi per motum quo cũ impingant aliquãdo in sidera benigna; nonnunquã in malefica; ex illis felices, & temperatas qualitates haurientes coniungunt profictum, & bonum cum re prorogata, ex maleficis verò è contra damnum, vel destructionem. Ad hanc igitur rem incipit Ptolemæus.

Cum vitæ moderandæ principes indicauerimus, amplius huius quoque moderationis duos esse modos intelligamus, eum qui consequentia signa versus instituitur, quam actinoboliam, idest radiorum proiectum dicimus, quando in orientalibus locis, nimirum à Cæli culmine, & ascendente interceptis, vitæ gubernator inuentus fuerit, & eum qui non solum consequentia versus, sed & in præcedentia signa peragitur, quam horimæam dicunt cum in locis à culmine declinantibus reperitur.

Recentiores quosdam, & sanè præclaros magnopere mi-nor, qui cum Ptolemæus in hoc capite duplicem Directionum motum perspicuis admodum verbis instituat, iuxta duplicem Planetarum verum, & realem motum, ipsi tamen alterum, qui scilicet conuerso modo fit, idest ab ortu ad occasũ reijciũt,

reli-

reliquo tantum assumpto. Sed quã ineptè decipiantur satis alibi demonstrauimus, imò & exemplis pluribus confirmauimus: vbi non tantum apparet quod occidentalis finitor labefactet dominum vitæ, verum etiam radij, & corpora maleficorum intercepta; adeoquod cum Hylech efficiat vitę moderationem duplici hoc motu, prout realiter duplici motu mouetur, atq. non modo apud occidentalem quadrantem, verum etiam apud orientalem, non solet abscindere vitam maximè in robustis natalibus, nisi vtroq. hoc motu in maleficos impingat: In hac tamen doctrina excipimus Horoscopum, qui non mouetur motu conuerso: De Parte fortunæ verò res nondum apparet satis explorata, & quamuis censendum videatur idem, quod de Horoscopo, Negusantius tamen affirmat se inuenire dirigi etiam per motum conuersum: vnde in hac re parendum est experimentis.

Directionis verò motus quid sit, & quomodo fiat, naturali ratione satis à nobis alibi demonstratum est. Ptolemæus deinde tradit modum supputandi descensum Aphetę ad occasum, cum ratione additionis, quę fit per beneficos, & subductionis, quę per maleficos, de quibus omnibus, & de vniuersa methodo calculi Directionum latè, & distinctè diximus in nostro Primomobile, vbi etiam Tabulas ad hanc rem apposuimus, additis etiam Exemplis ad rei euidentiam, & calculi facilitatem. Ptol.

Secundum eam, quæ in sequentia signa fit moderationem, interficiunt loca maleficorum Saturni, & Martis, siue corpore ipso, siue radijs vndelibet tetragonis, aut oppositis occursantium: aliquando verò è signis dicto eorum audientibus, aut aspicientibus secundum æquipollentiam hexagonis quoq.

Vbi notabdum quod non ratione hexagoni (quamuis hic radius concurrens possit addere vires ad intensiorem prauam qualitatem imprimẽdam: vnde fit quod par ratio valeat etiam de trigono,) sed causa ęquipollẽtię paralleli Declinationis, quã ęquipollentiam nos reperimus perpetuo valere, & efficacissimè etiam extra loca sextilis, & Trigoni. Et meminisse oportet quod alibi adnotauimus, nimirum loca audientia, & intuentia debere accipi secundum eãdem Declinationem, idest

in eisdem Parallelis, quamcunq. latitudinem habeant Astra: Rursus configurationes non tantum in Zodiaco sed etiam in mundo obseruandas esse.

Tetragonus quoq. Aphetico loco radius interimit, si est iuxta signorum consecutionem. Aliquando è signis longarum ascentionum iam deprauatus hexagonus, quemadmodum è signo breuium ascensionum trigonus. Proprius radius hostilis Aphetæ habetur pro loco critico, siue dicamus climatenico; eo quod contrariam habet naturā à loco radicali: at verò loca sextilis & trigoni in signis longarum, & breuium ascensionum, non quia degenerant, vt alibi probauimus, sed quoniam in huiusmodi locis contingit tetragonus in mundo, moderatori vitæ obsunt. Quare cum contingere possit, quod vel coincidat simul radius exquisitus tetragoni in mundo, vel proximè sequatur: hinc est quod radius benignus possit præoccupare effectum ante veram, & intimam applicationem cosmicam; maximè si ibidem inueniantur fines maleficorum, vel quid aliud maleficum. & hæc doctrina valet non modo in radijs proprijs aphetæ, verum etiam in configurationibus maleficorum.

Et cum Luna vitæ moderationem inijt, Solis quoq. locus interimit. Quod absolutè intelligendum est, etiamsi videlicet Sol maleficorū qualitates nō induat; quod si cōtingat maleficas qualitates induere, eo deterior est Solis ad Lunam occursus, vt infra docet Ptolemæus quemadmodum è contra si Luna maleficorum naturā accipiat, Soli vitæ moderatori occurrens necat. Cæterum Sol de sui natura Lunæ contrarius est non secus ac dies nocti, & è contra: & ratio videtur esse quia eorum sectæ aduersantur inuicem, causa scilicet contrarium qualitatum: nam Sol calorem, & siccitatem natus est efficere, Luna humiditatem, & frigiditatem: hucusq. Ptolemæus exposuit qui nam Planetæ, & eorum radij vitā extinguant: sequitur verò loqui de grauitate, & leuitate occcursus.

Valent enim iuxta hanc vitæ moderationem hi occursus ad perdendum, aut seruandū postea quam in ipsum moderatoris locum feruntur. Non tamen semper existimandum est, & in vniuersum interficiendi vim habere hec loca, sed cum malè affecta fuerint. Quoniam enim sidera

dera diuersæ, & contrariæ sunt ad inuicem naturæ: rursus vnumquodq. sidus in se ipso induit vel magis, vel minus temperatam, vel intemperatam naturam; hinc proculdubio sequitur nasci posse effectus infinitæ varietatis, prout infinitis modis, & propriam, & ex inuicem mixtam exprimere possunt. In hoc autem reponitur omnis huius artis difficultas: Quare non omnis maleficorum occursus lethalis est; subditq. causas.

Impediuntur enim si in benefici alicuius terminum incidunt, & si beneficorum aliquis radium eò eiaculetur tetragonum, aut trigonum, aut oppositum sanè ad ipsam partem intercmpiricem, siuè ad partes proximè sequentes, in Ioue non vltra duodenas, in venere non supra octonas

Antiquorũ Aphorismus est quę à Saturno lignantur solui per Iouem, & quę à Marte per Venerē; & in vniuersũ certũ est quæ à maleficis per beneficos. Atque vice versa quæ bona à beneficis largiuntur per maleficos corrumpi, & tolli; contrariorũ enim contrariæ causę.

Et notandum, quod Ptolemeus inter radios beneficorum, qui seruare possunt, non enumerat sextilē; & ratio potest esse, quòd radij quò maiores sunt cò validiores, quò minores cò infirmiores: vnde in 14. die validiores crises fieri testantur Galenus, & Hippocrates; in 4. autem de raro finiri & terminari morbos, & non nisi accutissimos.

Ceterum vnumquodq. sidus suam habet sphæram actiuitatis, quam Ptolemęus cum in Ioue, & Venere definiat, ex his facile cognoscemus etiam in cæteris: & quamuis Venus maior nobis apparear maioremq. lucē exhibeat, quã Iuppiter; nihilominus tamē quoniam Veneris color albescit, quo humiditatē magis, quam calorem apta est producere; at verò Iuppiter ad cærulcum colorē accedit, quo potius calidam quantatem producit: Cum verò calor magis actiuus sit, quam humiditas; hinc sequitur Iouem habere maiorem sphæram actiuitatis, quam habeat Venus: quæ ratio obseruanda est in cunctis Astris: omnia enim, quæ traduntur à Ptolemæo, physicis principijs, & rationibus munitas esse manifestum est. Ptolemæus igitur asserit quod fines beneficorum seruare possunt, & non meminit aliarum dignitatum beneficorum, scilicet domicilij. exaltationis

&

& triplicitatis; vnde colligere debemus quod finium dignitas plurimum valeat.

Ac si corpus vtrumque dum est & quod occursat, & quod moderatur, non sit eadem vtriusq. latitudo. De figura æquicruria hic loquitur, & procuidubio in loco occursus; vnde valet etiam in oppositionibus, quamuis ipse loquatur de congressu: Quoniam vt diximus diuersitate latitudinis euitant inuicem, & quo maiori, eò magis, vt minus eorum vires actiuæ iungantur, quo debiliorem ostendunt effectum.

Ex hoc verò textu clare patet, quod si Hylech motu Directionis possit non habere eamdem latitudinem, quam habet occursans, certò necesse sit ipsum progredi per viam, & circulum suæ latitudinis quæ procuidubio successiuè permutatur, prout variat distantiam a suis nodis. Vnde respiciendum est semper in loco congressus, siue sit alterius occursus, quam latitudinem habeat, idest assequatur Hylech in dicto loco; & secundum longitudinem, & latitudinem eius loci sumenda est Ascensio recta vel obliqua. &c. sed hanc rem alibi ratione, & pluribus exemplis illustrauimus. Ptol.

Quando igitur duo, aut plura sunt vtrinque quæque iuuent, quæq. interimãt, videndum penes quæ victoria sit, idq. secundum numerum, & secundum virtutem. Secundum numerum, quando scilicet euidenter plura fuerint hæc illis. Secundum virtutem si iuuantium, aut interficientium stellarum hæ quidem in domesticis locis inueniuntur illæ verò, non, maximè quidem cum hæ orientales sunt, illæ verò occidentales. Omninò verò earum, quæ radijs obrutæ sunt nullam accipere conuenit, nec ad interficiendi, nec ad commodandi operam, nisi quod cũ Luna vitæ moderatri e est ipse quoq. Solis locus interficit, quando malefici alicuius congressus oppressus, à beneficorum nemine iuuatur, aut liberatur. In hoc textu Ptolmæus primò præcepit perpendendas esse ferè in bilance vires iuuantium, & interimentium, vt nimirum cognoscamus penes quê victoria maneat; & distinguit quod cõtemplari debemus ex vtraq. parte numerum, atq. vires. Quo ad numerũ possunt ex parte interimentium vna conuenire plures malefici, vel eorum radij, inter quos, & fixæ splendentes fines quoq. de natura maleficorum:

rum: atq. cauda Draconis imò etiã caput, eo quia sint fines ecliptici, minus tamen nocet caput. Ex parte verò seruantium plures benefici, vel eorum radij & fines. Item possunt conuenire plures familiaritates & eiusdem, atq. etiã diuersi generis, videlicet in Zodaco, & in mundo, & cum radijs & parallelis &c. Quoad virtutem verò spectandæ sunt singulorum vires, nam orientales, angulares, & in suis dignitatibus, & quo pluribus, eo robustiores sunt. Non dicat quis id quod inane fertur, maleficum non destruere propriam domum in qua nimirum robustiores vires ostendere solet, & in qua moderator inuentus sub eius iure dominij captus detinetur; vnde alij dicunt huiusmodi signa violenta esse; potius enim ob id hoc posterius crederem verius esse quam illud, & cauendum vires Astrorum respiciendas esse quas habét in radice natalis; & non alio modo: nam à constitutione natalis ortum habent tum species tum grauitas omnium effectuum futurorum & non ab alijs quibuslibet siderum circuitibus à quibus potius tempora definiuntur, vt habet Ptol. lib. 4. cap. finali. Deinde Ptolemæus ab hoc munere seruandi, vel perdendi prorsus adimit eos, qui radijs Solis obruuntur, & occulti delitescunt; nisi tantum quod si Sol cangatur à Sphæra actiuitatis eorum, ipse quoq. Solis locus anæreticus censendus est, imò & radij eius hostiles, nisi radio benigno robusti benefici Solis natura temperetur; ita tamen vt radij benefici interponantur, & ad Solem propinquiores sint, quam corpus malefici: nam alias si maleficus propinquior sit ad Solem, parum vel nihil valent radij benefici. Ad Lunam tamen Sol perpetuò fuit hostis, de natura sua, & semper obest, etiam si Sol à maleficis non opprimatur. Quod si Sol in dignitatibus maleficorum sit, & sine familiaritate benefici, dico Solem esse validum aneretam Lunæ occurrens corpore: radio verò hostili, posse addere aliquid malitiæ, vt colligitur ex cap. 9. lib. 4. vbi Ptolemæus dicit quod luminarium testimonium exponit natum in publicum exemplum necãdum

Cæterũ exquiri potest, ad quantã distantiam Sol radios suos extẽdat, quibus tegit siderũ corpora: cui respondẽdũ cẽseo ad gr. 12. ferè, quot nimirũ distãt sidera in prima eorũ à Sole apparitione, vel in vltima occultatione, probabile tamen est, quòd diuersitas magnitudinis stellarũ diuersitatem afferat in hac.

Sciendum etiam Solem esse præ omnibus Astris potētissimum in agendi virtute; quoniam eius lux validissima omnium siderum est: Quare si cum bonis iungatur euadit promissorū omnium robustissimus; & radijs suis benignis ad Culmen producere solet munera nobilissima: è contra si cum infortunis iungatur calamitates magnas exsuscitat; in quibus effectibus producendis eò valentior euadit, quò ex minori distantia cum Planetis iunctus fuerit, & in applicatione; nam in separatione debiliores effectus ostendit.

Quæ hic deinde subiungit Ptolemæus continent vniuersam penè doctrinam Primi mobilis; de qua ex professo satis egimus in nostro Primo mobile, & in Cœlesti Philosophia, in fine vniuersi calculi Ptol. subiungit dicens.

Discernemus verò deinceps in vnaquaq. prædictarum occursationum, aut obituum iuxta ordinem ab ijs qui temporis breuissimi sunt acceptum, & interemprices, & Scatares, quæq. alias per traiectiones eueniunt, prout inficitur occursus, aut iuuatur ad eum, quem diximus modum, & pro singulorum occursuum temporali exitu. Vult Ptolemæus, vt incipiamus contemplationem ab ijs qui viuunt tempore breuissimo, idest non perueniunt ad annuam nutritionem, de quibus iam satis dixerat: deinde videamus si maleficorum vires adhuc non sinãt natum longam, & robustè valētem vitam viuere: nam si morbos, vel vitia, vel corporis prauã constitutionem, vel debile temperamentum inferant inhibent longam vitam: tunc verò etiam primi maleficorum, qui per Directionis motum occurrunt vitæ moderatori, necare possunt; alias sequentes iuxta præexistentem bonitatem, vel malitiam: & in hoc censeo requiri exquisitum professoris iudicium: nam maior bonitas, & minor malitia diuturniorem vitam, minor bonitas, & maior malitia breuiorem vitam moliuntur; quod rationi consentaneum est: nam maior bonitas perfectiorem, & robustiorem mixtionem parit; perfectior mixtio valentiorem coctionem, robusta coctio magis resistit qualitatibus aduersis necantibus, & non admittit cruditates; & putredinem, nisi in ætate declinante, in qua vires diminuuntur. Vides lector quam pulchrè Ptolemæus progrediatur iuxta peripateticæ Philosophiæ, & summorum in arte medica

doc-

doctorum præcepta: benè igitur dixit *iuxta ordinem ab ijs qui temporis breuissimi sunt acceptum:* nimirum, vt cognoscamus ad quam vitæ durationem peruenire possit natus.

Tandem dato quod natus possit viuere longam, & diuturnā vitam, pendendę sunt accuratè singulæ obuiationes iuxta ea, quæ à Ptolemæo tradita sunt; nimirum quod fines, vel radij subsequentes beneficorum, vel latitudo diuersa maleficorum occurrentium à latitudine moderatoris vitæ possint seruare: e contra plures maleficæ, vel multiplicatæ earum familiaritates fines &c. possint perdere, respiciendum ad quam partem accedat victoria: & ego addo si maleficus occurrens habeat hostilē familiaritatem cū vitę moderatore in natali, dico plures beneficas requiri ad seruādum, quoniā maleficus pręexistētes inuenit aneretieas qualitates suæ naturæ, quo facilius interficientes qualitates inferre, & superaddere valet: E contra si moderator in natali feliciter se se iungat cum beneficis, requiri plures maleficas ad necem.

Distinguit verò Ptolemeus occursationes quod alię sint interemptrices, aliæ climactericæ, idest discriminosæ, aliæ traijcientes, idest leues prout inficitur occursus, vel iuuatur &c. sicut dixerat. Quod si constitutio natalis polliceatur diuturnam vitam causa familiaritatum beneficorum valentium erga moderatores vitæ, dico quod natus euadet plurimas maleficorum obuiationes vsquequo tandem prostratis viribus naturæ non nisi in vltimo senio succumbat. sequitur Ptol.

Afflictis enim simul & locis, & in exitu annorum reuolutione stellarum inficiente præcipua loca, mortem certam expectare oportet. Hic est omnium grauissimus casus, in quo dato occursu maleficorum valido, & reuertente anno temporis Directionis eius, si maleficæ, inficiantur locis moderatorum, indubitatum occubitum minantur: vbi ego censeo quod Ptolemæus, titulo exitus annorum intelligat non modo initium fatalis anni, sed totum etiam annum; ait enim in exitu annorum, quasi dixerit expleto numero annorum, quos per motū Directionis colligimus natum posse viuere: Quod vero si hoc contingat initio eius anni, non renuo quod eo magis infortunarum maleficium erga vitæ moderatores obesse possit: non tandem obsunt etiamsi non contingant initio anni, ipsæ

ſcilicet ſtellarum reuolutiones ſeu dicamus tranſitiones vel reditus inficientes moderatorum loca; ſicut docet Ptol. ex profeſſo cap. finali lib. 4. Cæterum Profeſſores innixi verbis illis, tanti faciunt annuas Solis reuolutiones, vt eas nihil minus æſtiment, ac ſi conſtitutiones eſſent natalitiæ; quod non docet Ptolemæus, *At ſi alterutrum horum humanæ naturæ laboranti ſuccurrat, aſſultus magnos, & graues, Vtroque verò iuuante languores tantum, & deportationes temporales: horum peculiari ratione accepta ab occurſantium locorum, & genituræ negotia, neceſſitudine.* Si vnus beneficorum ſuccurrat minus valet, ſi duo proculdubio amplius, maximè ſi familiares fuerint ad moderatores in natali.

At verò quoniam opus eſt in occurſibus per Directionis motum æſtimare vires malorum, & bonorum; ad hanc rem adeſt Tabella in Iſagoce ſuperioris tomi quæ valet tam in decubitu quam in natali, & quam in loco Directionis. Tandem Ptol. *Nihil verò prohibet interdum diffidẽtibus ijs penes quos interimẽdi ius eſſe oportet, occurſus ſingulos æſtimãtes, aut ijs maximè vti, qui ad exitum euentuum, & ad ea, quæ poſt conſecutura ſunt, comparati eſſe videntur, aut omnium pro virium magnitudine valentium, obſeruationem inſtituere, eorum vehementiam, imbecillitatem, ijſdem rationibus coniectantes.* Vbi nimirum accidat nos dubitare ex bonorum, & malorum concurſu Ptolemæus præcipit obſeruandum quomodo ſe habeant ſinguli ad ipſum moderatorem in natali, atq. pro virium magnitudine; illi profectò qui viribus præſtant, & ex familiaritate, & dominio afficiunt ipſum moderatorem ſuis qualitatibus cauſa præexiſtentium qualitatum naturæ ipſorum occurſantium, præualent in eliciendo effectum ſuæ naturæ, non obſtantibus quibuſcunq. alijs.

Poſtremo ob ætatem, vel corporis diſpoſitionem ex præcedenti ſimilium occurſu qui ſimiles ſuccedunt, eliciunt effectum ſimilitudinis cauſa naturæ; maximè verò in momentis Annorum climactericorum de quibus dictum etiã eſt in ſuperiori tomo, & infra exemplis illuſtrabimus.

Tem-

CAP. XV.

De Temperamentis in genere.



Emperamentum nihil aliud videtur esse nisi Elementorum, & primarum qualitatum ad mensuram, & gradum permixti o: nam proculdubio ex eorum quantitate & gradu resultat omne temperamẽtum qualecunq. sit. Quicquid autem de temperamentis dixerint Authores.

Cærtum est quod vel omnia miscibilia, & eorum qualitates inueniuntur æqualis mensuræ, & gradus; vnde vocari poterit temperamentum medium; vel vnum ex quatuor superat cætera omnia & hoc fit 4. modis; vel tria superant reliquum Quod illem fit 4. modis: vel duo superant reliqua: Quod similiter quatuor modis contingit. Hæc in genere,& quoad partes miscibiles, attamen pro varietate mensuræ, & graduum infiniti proculdubio contingere possunt modi, Quam doctrinam censeo ab omnibus Philosophiæ Doctoribus admitti.

Ego autem addo. Quoniam ad mixtionem Elementorum in viuentibus non modo concurrunt tanquam partes miscibiles, seu tanquam materia, ipsa elementa; verum etiam tanquam causæ efficientes calor, & humiditas vitales, de quibus in superiori tomo latè disserui; multiplicãtur modi differentiarum temperamenti in infinitum infiniti possibiles; itaquod censendum sit nunquam ab exordio mundi inuentos esse neq. ad finẽ vsq fore inueniendos duos homines eiusdem temperamenti:& ratio est; quoniam temperamentum pendet à cœlesti constitutione,at verò habitus cęlestes nunquam redeũt omninò eędem similes; & fatetur Ptol. lib. 1. cap. 2.

Meminisse autẽ oportet eorum,quę sępius diximus mixtionẽ quamlibet,& coctionem Elemẽtorum fieri à qualitatibus vitalibus fæcundis, quas nos cælestes vocamus, calore,& humiditate, quæ sunt in viuentibus, & quæ producuntur à Sole, & Luna. Quare dato quouis temperamento elemẽtorum poterit fieri robustissimum ad vitam diuturnam, vigore robustissimi caloris vitalis, atque debilissimum causa debilissimi caloris: Vnde vitę diuturnitas non pendet neq. à medio elementorum tęmperamento, neq. à quouis alio, sed à robore calo-

caloris vitalis, & eius præclara, & libera virtute, neq. breuitas vitæ à prædominio qualitatum, sed à debilitate caloris, vel eius deprauata natura.

Hæc doctrina deducitur ex infra positis; nam calor vitalis robustus, & liber, validus est ad obeunda munera potentiarum organorum, maximè ad coctionē, in quo consistit sanitas, vt ex Galeno dicemus: debilis verò vel obsessus infirmatur ad exercitium & coctionem, vnde oriuntur cruditates & putredo ad necem.

Patet etiam ex Astrologicis principijs; nam dato vitæ moderatore valido, & feliciter affecto, maximè Sole, promittitur valida, & diuturna vita sub quocunq. temperamento; è contra si vitæ moderator debilis sit; & infeliciter affectus, debilis, & breuis vita. Habetur hæc doctrina apud Ptolemæum passim, & præsertim in cap. de ijs qui non nutriuntur.

Cæterum quale futurum sit temperamentum colligitur ex natura dominantium Planetarum, sicut docet Ptol. in cap. de forma, & temp. corpor.

Oritur difficultas in hoc cap. an omnia, & singula membra, & partes viuentis eterrogeneæ habeant eamdem, & similem temperationem imò, vnam, & eamdem formam substantiālem; an verò diuersas formas substantiales partiales, atq. temperamentum diuersum. nam si differant inter se substantiāliter diuersas habebunt in Cœlo causas, quas plurimum conducit cognouisse ad inuestigandam naturam, qualitatem, & loca morborum.

In primis autē certū est quod in viuēte dātur quatuor humores quorum bini contrarię sunt naturę, & proprietatis ad inuicem, quibus dominantur Planetæ contrariæ naturæ: dantur ossa quæ solida, & sicca sunt de natura terræ, quibus dominatur Saturnus, vt docet Ptol. dantur Pulmones, qui aerei sunt humidi calidi, & spirituales ex quibus oriuntur spiritus vitales ad Cor, & Arterias, quibus præest Iuppiter: datur Hepar humidum & frigidum, quod est officina sanguinis, cui præest Venus; dantur, & potentiæ inter se diuersę, imò, & contrariæ naturæ & proprietatis, vt retentiua, & expulsiua, appetitiua, & digestiua &c. quare differre inter se specie certum est, quæ verò differunt specie differunt per formam substantialem.

Hæc

Hæc ſententia dari formas ſubſtantiales partiales membrorum in viuentibus eſt grauium Authorum: imò videtur eſſe ipſius Ariſtotelis, qui definit Animam eſſe actum corporis phyſici organici potentia vitam habentis; vult ergo Philoſophus quod prius fiat corpus compoſitum ex materia, & forma, nimirum ſemé quod nõ eſt actu animatum, ſed tantum potentia quam fiat actu animatum. Etne dicas ab Ariſtoteles definitam eſſe animam in actu ſecundo ideſt quando iam informat corpus: tunc enim corpus nõ habet vitam potentia, ſed actu, igitur Ariſt. definit animam in actu primo ſecundum ſuam eſſentiam, nõ ſecundum quod habet ſuum effectum: tũc verò præſupponit corpus organicum cũ potentia ad vitam, quod ex materia, & forma proculdubio compoſitum eſt; cumq. habeat potentia vitam, recipit actu vitam ex formali actu, & effectu ipſius animæ.

3 Nihilaliud obſtare videtur contra formas ſubſtantiales partiales, niſi quod non eſt poſſibile eamdem materiam informari à pluribus formis ſubſtantialibus; ſed hoc non repugnat, ſi altera forma ſuperueniens maioris ſit virtutis, & actiuitatis, atq. prior ſubijciatur huic robuſtiori, ſitque illa tanquã diſpoſitio, vel inſtrumentũ poſterioris. Imò eſt doctrina Ariſt. in 1. de gener tex. 38, vbi diſtinguens mixtioné à generatione & miſcibilia à generabilibus, aſſerit ĩ mixtione Eleméta nõ corrũpi, ſed remanere ſalua, in potentia tamé & alterata, nõ in actu neq. cũ integris qualitatibus; atq in ſolutione mixti nõ generari Eleméta, in quę reſoluitur mixtũ, ſed reſtitui ad ſuum actualem ſtatum. Et ratio quoq. ſuadet nam alias non eſſet mixtum ex Elementis, ſed genitũ; neq. inueniretur aliqua ratio differentię temperamentorum, ſi Elementa in mixto non remanerent ſalua, ſaltem ex communi ſententia philoſophor.

Hinc autem fit quod propoſitio illa vulgata corruptio vnius eſt generatio alterius, non eſt ſemper, & ſimpliciter vera, ſed tantum inter Elementa ad inuicem, vt quando ex aqua generatur aer; atq. ſeorſim inter mixta ad inuicem, vt quando generatur vermes ex carne. Vult ergo Philoſ. quod formæ ſubſtantiales Elementorum maneant vna cum forma ſubſtantiali mixti.

Quod autem forma ſubſtantialis maioris perfectionis, & acti-

actiuitatis possit generari, & inhærere in subiecto completo, & iam composito ex materia, & forma substantiali interioris virtutis, & actiuitatis, præter iam expositas rationes patet in igne, qui generatur, & inhæret in metallis, & in carbonibus cadentibus, absq. corruptione formæ substantialis eorum. Quod si quis dicat inibi non adesse ignem admoueat manum & probet: si verò dicat inhærere in partibus porosis, in cæteris secus; non videtur verisimile: quoniam tota eorum substantia apparet ignita, quæq. successu temporis tota demum consumitur ab igne, & conuertitur in cinerem, nihil remanēte de corū forma substantiali.

Data igitur hac sententia plures diluuntur difficultates, in quibus laborant alij Anthores; vt quod adueniente anima rationali remaneant potentiæ vegetatiua, & sensitiua, quibus tanquam instrumentis vtitur anima rationalis superueniens: sic anima sensitiua vtitur potentijs vegetatiuis: & non quod hæ potentiæ corrumpantur adueniente perfectiore forma, quæ ideo potius perficit quam corrumpat eas potentias.

Ex his autem omnibus infertur primo in homine dari temperamentum vniuersale totius corporis, quo differunt singuli homines inter se; quod cognoscimus ex prædominio siderum apud Horoscopum, & luminaria natalis. Secundo dari temperamenta partialia in singulis membris, & potentijs, etiam de communi medicorum sententia, vt exempli gratia quod hæpar sit naturæ sanguinis, est enim eius officina; Pulmones aeris, quippe à quo procedunt spiritus vitales ad vniuersum corpus; Cor esse sedem, & fontem caloris vitalis, qui cum fiat à Sole, ipse Sol cordi præest sicut docet Ptolemæus cap. de vitijs & morbis corp.

3 Quoniam hæ potentiæ, & partes corporis subijciuntur singulis astris iuxta singulorum naturā; apparent hæ potentiæ, & partes diuersimodè affectæ, prout ipsa sidera acquirunt diuersos influendi modos, de quibus à nobis sæpius dictum est, & amplius dicendum.

4 Tandem ex doctrina Ptolemæi locis citatis Quoniam ex affectione partium, & potentiarum emergunt diuersi effectus, vt vel morbi propriè dicti, qui procedant à qualitatibus putrescentibus, inferunt dolores, aliaq. symptomata, & vel perpetua,

petua, vel redeuntia, vel temporanea; vel inferunt defectus permanentes, qui vitia nuncupantur à Ptolemæo, vt est cæcitas, claudicatio, luxatio &c.

Hæc in genere dicta sint, quo nimirum facilius intelligamus vniuersa de quibus in sequentibus dicendum est.

CAP. XVI.

De forma, & temperatura corporis in specie.

PRimò Ptolemæus in hoc capite coniungit verba cum præcedētibus: vt enarratis ijs, quæ ad vitam, & eius moderationē pertinēt, non ab re sequantur, quæ ad corporis temperaturam spectant; præcedant verò ijs, quæ ad corporis morbos, & vitia: atq. demum ad animi qualitates & dotes: hæc enim omnia à corporis temperamento manare apud omnes Philosophos receptum est. Ad hanc igitur rem ait Ptolemæus.

Obseruare in vniuersum oportet orientalem finitoris partem, & succedentes, aut gubernanda eius ius possidentes errones sicut di imus. Partim verò & Lunã similiter. Subiectum ergo ad hanc rem ponit Horoscopum, & Lunam: & ego censeo Solem quoq. ponendum esse, qui cum exhibeat vitalem calorem, à quo primò, & principaliter pendet coctio, & mixtio elementorum; hæc proculdubio talis apparet, qualis vis, & natura ipsius caloris vitalis: imò etiam Ptolemæus circa medium huius capitis Solem quoque assumit. Igitur quoniam Horoscopus præest corpori; & Luna humiditati radicali, quæ est velut sponsa, & subiectum, cui inhæret vitalis calor: & sol calori vitali, à quo post animam effluunt omnia munera vitæ, rationi consentaneum est corporis temperaturam pendere ab his tribus locis, tanquam à causa materiali.

Quæcunq. verò sidera, siue quæ super hæc loca dominantur errantia; siue quæ coascendunt, vel condescendunt etiam fixa, innuunt corporis temperamentum, eiusq. delineamenta, colorem, & speciem.

Post hæc Ptolemæus descendit ad particulares, & simplices modos per singulos errantes; qui modi de se in textu plane intelliguntur.

Cæterum ex hoc capite, & sequentibus plura colliguntur.

quæ ad physiognomiam spectant,& non parum artem medicam in prognosticis & curis iuuare possunt: & sunt ea signa, quæ Ptolemæus colligit à singulis Planetis dominantibus, & cum differentia si nimirum sint orientales, vel occidentales, angulares vel cadentes, in proprijs dignitatibus, vel peregrini &c. Quorum signorum in hoc capite nonnulla exhibemus.

Et primò cauendum quod faciei similitudo ad animalia, ortum habet potissimum à signis, & imaginibus stellati orbis, quæ in ortu inueniuntur ad momentum natalis, non sine permixtione ab ijs, quæ cum Luna, maximè si ipsa supra terram inueniatur, & eo magis de nocte: nam vt docent Professores, Imagines fingunt corpora, Planetæ verò dant corporum qualitates: quæ qualitates proculdubio augent, vel diminuunt ea, quæ ab imaginibus imprimuntur.

Quare sciendum hic est quod sicut in monstri natali malefici Planetæ dominantes, & angulares tollunt humanam formam, & membrorum proportionem; atq. si luminaria non respiciant Horoscopum, in quibus casibus imagines stellati orbis exprimunt suam speciem, vt diximus: Ita in hoc capite, quod pertinet ad Physiognomiam, similitudines ad bruta animalia si ad viuum, referant cum membrorum eadem ferè turpi improportione, quæ in brutis; signum certum est, quod cum ipsa imagine stellati Orbis adsint etiam radij hostiles maleficorum, quibus vna cum similitudine speciei animalis inferunt etiam similitudinem morum, vt communiter Physionomiæ professores affirmant. Etenim nunquam credam quod solæ imagines stellati orbis qualitates, & dotes in animo imprimere valeant: videtur hoc repugnare doctrinæ, quam tradit Ptolemæus in cap. de qualitate animi. Quare data in Horoscopo, & cum Luna quauis imagine, & cuiuscunque feræ; si benefici præsideant viribus robusti, imago illa ad humanæ formæ proportionem, & pulchritudinem ita accedet, vt vel nullum vestigium, vel omnino exiguum super futurum sit deformitatis feræ. Vnde quamuis animi qualitates exordia quædam ostendant illius animalis, cuius est imago stellarum illa, studio tamen cura, & prudentia, quam infundunt benefici, ad omnimodam humanitatem, clementiam, honestatem, cæterasque omnes virtutes rescissis, & depositis brutorum vitijs, futurum

esse certò, vt reuocetur, & instruatur animus.

Igitur ad rem nostram; imagines brutorum stellati Orbis imprimunt suam speciem, & similitudinem in homine ad viuum expressam, si malefici præualeant, & præsint, vt diximus: si verò præsideant benefici initium quoddam atq. eas tantum partes, è quibus, si quid boni, & virtutis inest in animali illo, effluit; deletis characteribus & signis siluestrium vitiorum, atq. cis cumædificatis partibus omninò humanis, honestis, & dignis.

Hinc deducimus ad Physiognomiam si species brutorum appareant in homine eo modo deformes, quo in ipsis brutis; innotescat proculdubio, natum illum, siluestres morum brutorum mores induisse. Vt de Leone si appareant vngues, dentes, oculi, vitium crudelitatis, & voracitatis innuunt; si verò frons, & pectus in latum extensa, magnanimitatem, & audaciam.

Vlterius progredior, & addo ad commodum artis medicæ quòd similitudo brutorum in facie, significat natum obnoxium morbis, & temperamento illorum brutorum. Et ego vidi quemdam præ cæteris, qui Canis speciem ferebat, cum colore bilioso, qui tandem à rabido cane morsus rabidus occubuit: Imagines igitur dant corpora, Planetæ verò corporum qualitates, quas tamen proculdubio augent, vel diminuunt ab ijs, quæ ab imaginibus imprimuntur.

Iuppiter in viris, & Venus in mulieribus feliciter, & robustè se gerentes efficiunt corpora moderatè magna, & pulchrè iuxta suum genus proportionata, pinguia, colore magis albo Venus, magis ceruleo Iuppiter non sine rubedine; nam Iuppiter sanguineum temperamentum, Venus Phlegmaticum præstant: Nigros oculos, sed Venus maiores, magisq. lucentes ob frigidiusculam humiditatem, quæ facile intumescit, & refulget: Iuppiter verò oculos plus actiuitatis, roboris, & motus habentes. Capillos mediocres, & Iuppiter non nihil crispos, & ferè leonini coloris, Venus magis demissos, & flauescentes ad albedinem: Iuppiter vocem in mediocritate grauem, sed claram, & sonoram: Venus tenuem claram tamen, & dulcem, vtramq. auditui gratam: incessus ab vtroq. grauis, à Ioue tamen velocior: sic in rebus agendis. Ab vtroq. mundicies effluit. Quod si Iuppiter dominetur in muliere, & Venus in homine

mine, quod sanè raró contingit, eosdem ostendunt effectus, non sine moderatione; mulieres tamen virescunt, fæminescunt viri.

E signis igitur Iouis dabitur temperamentum calidum, & humidum, e signis Veneris humidum, & frigidiusculum si videlicet sint orientales. Quod si occidentales se habeant vniuersa prædicta commaculant, & minora reddunt, frigidioresq. ostendunt effectus. Si verò alio quouis modo deprimantur, eas ostendunt labes iuxta depressionis causas, de quibus dicemus infra. Quod si alio quocunq. modo associentur malefici Planetæ vniuersa commiscent iuxta vniuscuiusq. habitum & vires, atq. in dominio iura maximè verò iuxta vires eorum, qui supra ipsos eleuantur. Ratio simplex singulorum Planetarum sic se habet. iuxta Ptolemęi verba.

Saturnus cum orientalis est, flauos commodeque habentes procreat, capillis nigris, crispo capite, oculis magnis, & statura moderata, temperatura verò humidiore, & frigidiore: Occidentalis verò cum est, nigros, & macilentos, & paruos, capillo simplici, tenues, aliquantulum moderata statura, nigris oculis temperatura verò frigidiore, & ficciore.

Ego dico quod malefici, & maximè Mercurius, si naturam eorum accipiat, in vniuersum inconcinnas, improportionatas, deformes, & rudes exprimere solent species: eadem enim ratio ferè, quæ de monstris data est etenim malefici deformant vniuersa. Et Saturnus quidem rudes, agrestes, horridas, & siluestres similitudines infert, sordidas, nigras, & obscuras, vt tollat omnem venerationem, & inducat despectum, & abiectionem. Mars verò species formidabiles, ignito colore æstuantes, quæque intuitu terreant; fætidas quoq. & malè olentes: Attamen si malefici felicem habitum induant orientalem in proprijs dignitatibus inuenti, & cum cæteris benigna necessitudine iuncti componunt suas similitudines ad quandam conformitatem, semper tamen redolent ea, quæ diximus. Mercurius maleficorum habitu indutus ridiculas formas exprimere solet & vafros reddere; vt quōdam in Hesopo, qui cum ingenio polleret siluestri, è feris siluestribus pulchra hausit moralia præcepta.

Item

Item malefici solent inferre vel cicatrices; vel alicuius mēbri deformitatem, claudos, gibbos, orbatos &c. vt constabit in sequenti capite: atq. cuncta hæc pro eorum situ in signis, & domibus cœli atq. configuratione ad luminaria. Quæ de singulis Planetis tradit Ptolemæus de se ita clarè patent, vt non sit opus hic denuo recensere: Notandus tamen luminarium concursus: & quoniam Sol tribuit qualitatem actiuam, quæ est calor vitalis, superaddit ipse maiorem conformitatem, & pulchritudinem cuiusuis speciei etiam venustæ: At verò Luna, quę tribuit qualitatem passiuam, quæ est humiditas, adijcit staturam, & implet copia ad robur, & amplitudinem: ita Galenus præ cæteris lib. 3. de Dieb. Decr. Et cauendum verba illa Ptolemæi, *maximè in separatione* quod exprimitur in alijs versionibus, intelliguntur à Sole, quod est in sui augmento: Etenim quæuis familiaritas in applicatione robustior est, in separatione infirma. Vnde Ptol. subdit etiam de cæteris Planetis:

Rursum in genere cum matutinæ sunt stellæ & apparentes ingentia efficiunt corpora, cumq. in prima statione fuerint, valida ac firmis lateribus. Planetæ in prima eliaca, idest à Sole apparitione, vbi orientales fiunt, siue matutini sint, idest superiores tres, siue vespertini, idest inferiores cæteri tres, augent corpora, quoniam augentur ibi lumine: deinde rationi consentaneum est, vt vbi ad primam stationem deuenerint, valida & firma fingant corporum latera. Vides Lector quomodo verum sit, quod docuimus in Cœlesti Philosophia idest proprietates, & passiones effectuum pendere à proprietatibus, & passionibus causarum. & quomodo Ptolemæus procedit ordine, & principijs veræ Philosophiæ.

Praeuntes verò, addit, *immoderata, & cum secundo constiterint imbicilliora. Occidentales verò dignitate prorsus nulla, & vitiorum fæcunda*. Vbi præeuntes vult dicere vltro progredientes à prima statione; incidunt enim in quadrantem occidentalem: quare subdit. *Occidentales verò*, verò dicit pro *enim, & ratione* superioris doctrinæ. Hucusq. Ptolemæus de sua singulorum Planetarum persona, & habitu loquutus est: subdit verò deinde de quadrantibus, & loquitur de Zodiaci, vt discamus eandē esse rationem de qua-

dran-

drantibus etiam mundi ab ortu, ad meridiem &c. par enim omninò ratio in cunctis circuitibus. vt alibi diximus.

De singulorum quadrantum natura vide in textu. Ad hanc rem ego obseruaui quæcunque feruntur in quadrante æstiuo, magis in latum, quam in longum augeri: e contra in Vere, & Autumno magis in longum. Rursus quadrantem Veris fæcundiorem esse ad multiplicandam numero prolem, & effectum: Æstatis verò quadrantem ad minorem quidem numero prolem; sed extensiuè, & mole ampliorem efficere. Quare ad rem medicam si sit opus medicamenta in longum, ad extremas videlicet, & summas corporis partes peruenire, quadrantes veris, & Luna in prima à Sole apparitione vsq. ad primam Dicotomam conducunt: si verò per latum, maximè circa nobiliores corporis partes quæ sunt pectus præcordia, dorsum &c. magis conducunt quadrantes æstiui, & Luna post primam Dicotomam; dico quoad medicamenta fouentia, nutrientia, augmentantia &c. Nam à violentis tunc è contra circa eas partes omninò abstinendum ob rationes in superiori tractatu expositas. Etenim re vera membra corporis firmiora, & latiora idest pectus præcordia &c. Quadranti æstiuo subijciuntur, vt ibidem probauimus: quo pateat à Ptolemæo tradi doctrinam omninò vniformem, & vniuersalem, ijsdemq. innixam principijs.

Post hęc Ptolemęus scrutatur, & obseruat particulares naturas, formas, & magnitudines signorum iuxta ea, quæ docuerat lib. 1, cap. 10., vt quia humanam figuram referunt, vel brutorum, vel magnam, vel paruam, vel in parte anteriori ampliorem in posteriori angustiorem, vt Leo: vel è contra vt Sagittarius; vel amplã secundum omnes partes vt Cete: quę cũcta de se clara sũt, & nos iã in superiori tomo exposuimus, atq. vera esse vniuersa re ipsa perpetuo vidimus.

Pro-

CAP. XVII.

Quid Sanitas, quid morbus, & in quo consistant.


Rofitetur hunc titulum Galenus libro de diff. morbor. videtur autem loqui de sententia communi vulgi his formalibus verbis. *Vniuersi tunc se sanos existimant, cum optimè ad vitæ functiones ministerio particularum vtuntur. At eam partem ægrotare arbitrantur, cuius operatio sit læsa. Cum igitur sanitas inuestiganda sit aut in ipsis operationibus, aut in fabrica instrumentorum, manifestum vtiq. est morbum esse vel operationis, vel structuræ oblæsionem. Cæterum Sanitas non operationis actu, sed aptitudine potius est definienda: Sanitas itaq. moderatio quædam est; morbus autem vtpote sanitati contrarius in immoderatione eorum consistit, quorum sanitas est moderatio &c.*

Patet ex his Galeni verbis quod sanitas consistit in libertate potentiarum, & membrorum ad sua munera exercenda, & siue in actu primo potentiæ, & virtutis, siue in actu secundo exercitij, & effectus. Cumq. effectus exercitij ipsius sanitatis pendeat à potentijs, & partibus corporis tamquam à suis caufis; ideo iure optimo Galenus asserit sanitatem definiendam esse magis per aptitudinem potentiarum, quam per actum operationis. Concludit tandem quod sanitas moderatio quædam est, videlicet gubernatio, quæ fit à potentijs: morbus autem consistit in immoderatione, videlicet vbi potentiæ non exercent sua munera, eo quia proculdubio inueniantur oblæsæ, iuxta ea quæ dicit in exordio huius textus. Hæc autem doctrina consona est præceptis astrologicis à Ptolemæo traditis, atq. etiam principijs à nobis alibi positis, vt mox videbimus.

Verum in hoc loco poterit quis iure optimo subijcere: Data hac definitione sanitatis, & morbi; remanet adhuc incognitum, quænam sit causa libertatis, & impedimenti potentiarum, & partium: ad summas enim causas inuestigandas perueniendum esse docet persæpe Philosophus, atq. si medicæ ar-

tis professores velint extinguere morbum ad primos fontes tollendos peruenire sibi opus esse certo sciant: nam si solum fluentum hauriant, vel alio transferant, & dirigant, adhuc perpetuo defluet morbus.

Hanc rem subsequitur declarare Galenus in eodem allegato textu; & dicit quod summa causa morbi nihil aliud sit, nisi immoderata affectio, vel prædominium Elementorum, & eorum qualitatum in partibus potentiarum; ex quibus, ait, moderatè confusis oritur sanitas, immoderatè verò ægritudo. Vnde Philosophus Prob. 3. sect. 1. ait secundam valetudinem esse mediocritatem quamdam. Item de partib. animal. morbi, & sanitatis causas esse quatuor primas qualitates.

Dices adhuc: Quæ erit causa huius immoderatæ affectionis potentiarum & partium? Resp. Quoniam mixio est vnio miscibilium alteratorum, nimirum per illam coctionem, quæ conseruari, & successiuè semper etiam fieri desideratur in bene valentibus, atq. recuperari in ægris, quæ coctionis alteratio nó fit nisi à qualitatibus vitalibus calore, & humido, de quibus latè in superiori tomo disseruimus, quandocunq. ipsæ hæ qualitates vitales vel defficiunt à se ipsis, vel vitiantur, & obruuntur ex redundantia cruditatis, illico cessant à coquendo, vel coctas conseruando potentias, & partes, vnde oriuntur immoderatæ ab Elementis, & eorum qualitatibus affectiones, nimirum putredo, & excessus qualitatum Elementorum.

Ex hoc autem fit quod inter morbos collocandum sit etiam senium in quo nimirum hæ qualitates vitales absq. actione contrarij successiue deficiunt, & tandem extinguntur, vt habet Philosoph. libello de Iuuent & Senec. cap. 14. vbi distinguit mortem violentam à naturali, & de naturali concludit dicens. *Quapropter & sine dolore est quæ in Senectute mors, nulla enim violenta ipsis passione contingente moriuntur, sed insensibilis animæ absolutio fit omnino.* Ex quo patet non semper extingui hominem, & in genere quodcunq. viuens à contrarijs qualitatibus, vt quidam ab re censent. Sed fortasse ipsi dicent. Quoniam hæ principes vitales qualitates deficiunt, & cessant à coctione, exsurgunt immoderatæ, & crudæ Elementares, quæ contrariæ cum sint extinguunt vitam. Resp. primo Quod in senibus exsurgant immoderatæ

derata, & cruda elementares qualitates causa defectus vel extinctionis vitalium qualitatum, est effectus posterior, & dependens: nisi enim illæ vitales deficerent non exsurgerent immoderatæ crudæ elementares: quare prior causa extinctionis vitæ in senibus est defectus qualitatum vitalium, quibus succurrere nemo unquam potuit, vt latè disserit & ostendit Galen. lib. de Marasmo. Resp. 2. Quod Philosophus in textu allegato dicit quod senes extinguuntur sine passione insensibiliter. Quare etiam sine actione contrarij: nam actio, & passio perpetuo simul sunt, & non distinguuntur nisi ratione principij, actio agentis, passio patientis: igitur in morte huiusmodi senum qualitates elementares non exsurgunt nisi post mortem: si enim exsurgerent ante mortem, ipsa eorum mors non esset naturalis, sed violenta cum actione contrarij, atq. cum passione: quod Philosophus asserit in sensibus non contingere. Sed iam ad rem nostræ professionis. Quando contingit moderatores membrorum, & potentiarum, maximè Solem, & Lunam feliciter, & valide se habere, feliciter, & robustè moderantur, & exercent sua munera organa, & potentiæ ad salutem: Quod si infeliciter se gerant, oritur immoderatio ad morbum, & ad extinctionem iuxta vniuersam Ptolemęi doctrinam lib. 4. cap. finali, & cap. de moderanda vita lib. 3. Hoc autem est pręceptum vniuersale pro omnibus, & singulis rerum capitibus. Quibus verò sideribus subijciantur organa & potentiæ diximus in super. Tomo, & amplius dicemus.

CAP. XVIII.

De vitijs, & morbis corporis in genere.


PTolemæus agit de hoc titulo per totum caput 16. & non solum de vitijs, & morbis corporis in genere, verum etiam in specie. Nos verò in hoc capite tantùm in genere proponimus: nam de varijs morbis in specie opus est, vt loquamur seorsim; quoniam maior pars nostræ huius secunde partis de Diebus Decretorijs ad iuuandam Medicam Artem sub hoc titulo compræhenditur. Incipit ergo Ptol.

Cum proximus his sit de vitijs, & morbis, corporis discep-

disceptatio, ea nobis primum explicanda est. Cum enim Ptolemæus superiori capite declarauerit ea, quæ pertinent ad temperamentum, & contexturam corporis, ordo postulat, vt mox de corpore perquirat vitia, & morbos.

Et hic eos, qui generalem inuestigationem spectant, inspicere oportet ad finitoris duos angulos, orientalem scilicet, & occidentalem. Primò vult instituere contemplationem in genere, iuxta nostrum titulum: *pro qua re* ait, *respicere oportet ad finitoris vtrumq. cardinem, maximè occiduum, quodq. ipsum antecedit quod quidem nulla necessitudine cum Horoscopo coniunctum est.*

Re vera sexta Domus nullam habet irradiationem ad Horoscopum: attamen habet Parallelum cosmicum ad spatium sequens quod est totius primæ Domus: & non modo ad Horoscopum, verum etiam ad totam Domum anguli occidentis. Ex hoc verò patet ratio Aphorismi quorumdam illustrium Authorum asserentium: si malefici inueniantur in sexta Domo, & moderatores in ortu, vel Occasu, significare morbos in corpore: Atq. è contra si malefici maneant in Ortu, vel Occasu, & luminaria in sexta Domo, item significare morbos, & in hoc casu grauiores quoniam malefici eleuantur super luminaria, & cardines, de quibus loquimur, & quos Ptolemęus assumit significatores ad hanc rem. Cęterum Authores illi hęc proculdubio asseruerunt quod res ipsa docuerit: Vnde etiam patet significari carceres, & captiuitatem, si huiusmodi constitutiones contingant à Domo duodecima.

Singulorum Domorum proprias significationes tradunt ferè omnes Professores maximè antiqui Arabes, ponit etiam Maginus & alij recentiores: Ptolemæus verò tangit nonnullas, quę ad rem suam iuxta capitum institutionem facere sibi videntur. Ex quibus licet accipere, quod Ptolemæus non reijcit huiusmodi iam expositas Domorum significationes. dicit verò.

Obseruare etiam maleficas tellas, quomodo affectæ ad ipsum fuerint. Si enim ad partes succedentes ijs, quæ iam dicta sunt constiterint, corpore aut radijs tetragonis, oppositisue, siue vtraq. malefica, siue harum altera, vitia, & morbos corporis nato infligunt. Idq. potissimum quando luminaria, vel alterum, vel vtrumq. in

angu-

angulis, itaut diximus, situm est, vt vel vna sint, vel ex aduerso. Succedentes partes ad ea, quæ dixerat, ideſt ad vtrumq. finitorem, ſunt omnes partes ſigni feri; quæ ſequuntur, & ſuccedunt, ideſt per totum Cardinem vſq. ad cuſpidem. Igitur ſi inibi inueniantur malefici vel ambo, vel alter; & maximè ſi vna cum luminaribus ibidem iuncti, vel ex aduerſo poſiti, quod deterius eſt, & ſiue vnus vni, ſiue plures alteri, vel vtriq. luminari, morbos corporis infligunt, vel vitia.

Notandum in hoc loco id quod ex antiquorum traditione accepimus: ſcilicet quod malefica in oriente ſolet ſemper cicatricem, vel aliquam turpem notam in facie inſerere; & obſeruaui quod Mars cicatricem, Saturnus verò deformitatem: amplius vidi quod Mars ab occaſu lædens Horoſcopum idem præſtat, potiſſimè ſi in Ortu adſit Stella fixa martialis. ſequitur ptol.

Tunc enim non ſolum ſi ſuccedat maleficorum quiſpiam; verum etiam ſi præcedat luminaria, ipſe centrum obtinens poteſt vitium, morbumq. inferre. Nam cum ſupponatur maleficos poni in cardinibus Horizontis: quomodocunq illi ſe habeãt ad luminaria, ſiue applicãdo, ſiue ſeparãdo, ratione læſi Horizõtis morbos inijciunt: Verum tamẽ eſt quod in applicãdo robuſtio eſt cõſtitutio ad morbos eliciẽdos quoniam tunc non modo finitor, verum etiam luminaria læduntur.

Rurſus cum pro ratione diſtantiæ à Cardinibus accidant Paralleli coſmici; ſi vnus præcedat cuſpidem ſpatio exempli gratia trium graduum, alter verò totidem diſtet ſubſequendo; quamuis ab inuicem diſtent gradibus ſex, atq. in ſeparatione; cauſa tamen Paralleli coſmici ita ſe habent; ac ſi manerent coniuncti, id quod non rarò experti ſumus.

Tandem poteſt contingere inter eos Parallelus Declinationis, quod ſæpiſſimè vidimus, & cum ingenti effectu.

Iure igitur optimo Ptolemæus aſſerit, quod maleficus non tantum ſuccedens, verum etiam præcedens luminaria poteſt morbum, vel vitium inferre: ait verò poteſt, quia non ſemper id contingit, tum maximè cum ad luminaria ſuccedunt radij beneficorum.

Qualitatem verò morbi, dicit Ptolemæus, *pro ratione lo-*

eorum finitoris, & signiferi proq. natura ipsorum, vel maleficorum, vel affectorum siderum, ijsq. configuratorum. Quod quidem præceptum est vniuersale: sed infra vbi de morbis in specie agemus clarius inotescet. Vt verò genericè quoq. intelligatur subdit.

Partes enim vnius cuiusq. signorum loco Horizontis affecto circumfusæ, significabunt corporis partem laboraturam, & vtrum vitium futurum sit an morbus, an potius vtrumq.

Nam in primis signa ostendunt membra corporis: Deinde causa proprietatis cient peculiares quosdam morbos, vel vitia: sicut de his omnibus diximus in superiori Tract. Tum maximè quod singula corporis membra, singulares quosdam concipiunt & admittunt morbos, vel vitia: vt medicæ artis Professoribus notum est.

Astrorum verò naturæ ait Ptolemæus, *horum euentuum genera, & causas aperiunt.*

Etenim signa in se ipsis nullam causam habent morborum; quoniam ad ciendos morbos requiruntur qualitates, ad quas producendas signa à se solis non sunt apta: sed Planetæ, qui vel ex propria natura, vel ex habitu ad Solem, quadrantes Zodiaci & mundi, vel ab ipsis signis, in quibus inueniuntur, suscitant qualitates. Nam quodcunque signum inueniatur in Horoscopo, nō producit morbū aliquem, vel vitiū nisi malefici suis qualitatibus eo modo, quem diximus exsuscitent: efficiūt verò iuxta propriam naturā, & habitum, tum etiam pro signorum proprietate, vnde morbi in specie oriuntur. Et hoc est quod vult Ptolemæus in hoc textu: Quod etiam patet ex hijs, quæ infra in eodem capite docet: Et notandum quod Ptolemæus nomine generum intelligit genera rerum subiectarum siue partium coporis passibilium, idest subiectum, quod causis efficientibus subijcitur ad recipiendam actionem: ita simili modo intelligit lib. 2. cap. 7. *Tertio loco,* ait, *propositum fuit cognoscere in qua genera rerum euentus essent exituri.* At verò titulo causarum intelligit qualitates efficientium causarū. Etenim singuli Planetę habēt genera membrorum, siue partium corporis, atq. etiam humores, & qualitates. Enumerat verò per singulos Planetas dicens.

Nam

Nam ex potissimis hominis partibus Saturnus praeest auditui dextro, vesicæ, spleni, pituitæ, & ossibus.

Iupiter tactui, pulmoni, arterijs, & semini.

Mars auditum sinistrum possidet, renes, venas, ac pudenda.

Sol visui imperat, & cerebro, cordi, & neruis, & deniq. dextris omnibus.

Venus in olfactum, hepar, & carnem dominium exercet.

Mercurius sermonem gubernat, & menti rationique præsidet, linguæ etiam felli, & sedi.

Luna gustui, & gulæ, stomacho, ventri, vuluæ, & sinistris omnibus.

Notandum verò quod duobus infortunis tribuit ignobiliora loca, vt Saturno ossa, splenem, & pituitam, idest quam vocant vitream, quæ frigidissima est, & densa; atq. vesicam, quæ est vas infimum lotij turpe, & durissimum: & nomine pituitæ possumus etiam credere voluisse accipere succum melancholicum. Marti verò quæ fluida sunt, & de facili alterabilia, vt renes, venas, & pudenda, quæ item turpiora sunt, & corporis sentinæ, iuxta ea quæ Ptolemæus docet in capite de arte & magisterio ex maleficis.

Ioui tribuit partes circa cor nobiliores ad vitã, & fæcunditatem prolis, prout dixerat lib. 1. cap. 4. Iouem, Venerem, & Lunam fæcundos esse, ideoq. Ioui conciliat Pulmones, Arterias, & semen, quæ plurimum aerea sunt: at verò Iuppiter aerei præest de communi professorum sententia, ideoq. aiunt succitat ventos, & auras &c.

Veneri conciliantur ea quę ex sanguine oriri, & constare censentur hepar, & caro.

Soli dantur principes sedes qualitatum vitalium cor, cerebrum, & nerui, atq. nobilior sensus, qui est visus.

Lunæ verò quæ instrumenta sunt ad vitam alendam, & prolem generandam in fæminino sexu, iuxta Lunæ naturam.

Mercurio tandem quæ pertinent ad sensum internum sermo mens & intelligentia; quæ tamen intelligenda sunt quoad modum, & qualitates: Etenim mens, & ratio absolutè, & primo principaliter ab anima pendent, quę nulli causarum secun-

darum

darum subijcitur: sed quoniam anima vtitur organis corporeis: vsus organorum profectò talis est, qualis ipsorum organorum dispositio aptitudo, & potentia: vnde procedit tanta varietas sensus, & intelligentiæ in hominibus causa videlicet varietatis dispositionis & temperamenti organorum.

Hæc sunt subiecta & qualitates in genere accepta: partes verò singulæ in specie, quæ contingit vt morbum patiantur, ostenduntur à signis & Domibus.

Solent verò vitia plerumque accidere cum orientales sunt malefica; morbi è diuerso quando sunt occidentales. separata enim sunt hæc duo, ac vitium quidem semel infligitur, nec constantes dolores affert, morbus verò vel continuos, vel reciprocos.

Hic igitur accuratè notanda est hæc distinctio, quam quidem posuimus etiam in superiori tractatu. Nomine quippe vitij intelliguntur omnes naturæ defectus, ex quibus non procedit dolor, quoniam scilicet ibi non adest putredo aliqua, sicut exempli gratia sunt claudi, gibbi manci, orbati vel altero, vel vtroq. lumine, angustia membrorū, vel vasorum, calculi arenulæ, quatuor humorum copia, vel inopia, vel ad alienas sedes transitio, atq. similia vitia, quæ ferè omnia singillatim percurrit Ptolemæus in eodem capite. Morbi verò sunt omnes, qui ex putredine, & corruptione vel humoris, vel partis solidæ, vnde oriuntur dolores vel continui, vel reciproci & febres quædam: Nam ex calculo, & arenula quamuis per accidens oriantur dolores laterum, non fiunt ratione putredinis, & corruptionis, sed ratione pressuræ, vel obstructionis.

Dicit verò Planetas quando sunt orientales innuere vitia, quando verò occidentales morbos. Vbi cauendum quod primò, & principaliter intelligit eliacè, idest ad Solem comparatos per quadrantes; deinde etiam cosmicè in mundo, & in Zodiaco, item per quadrantes alternatim modo, quem diximus cap. 4. Quod si concurrant diuersi habitus, vel præualere eliacum, vel oriri mixtionem adeout simul, & vitium, & morbus erumpat ad lucem.

Notandum verò in hoc capite quod Ptolemæus perpendit proprietates signorum ad notificandas diuersorum morborum

species,

species, de quibus singulis quoniam acturi sumus, dicemus infra singillatim in sui locis. Circa finem capitis subdit Ptol.

His igitur ita constitutis si nullus beneficorum configuratur maleficis morborum authoribus, aut luminaribus angulos occupantibus, insanabilia, & grauia erunt siue vitia, siue morbi.

Idem coniectandum est si configurati quidem sunt benefici, sed à maleficis supplosi in potestate constitutis.

Ex hoc textu confirmatur id, quod sæpius à nobis dictum est, nimirum quod Planetæ eos ostendunt effectus, quos concipiunt ex propria & absoluta natura, & quæ alterata ex habitu, dignitate, atq. tandem & maximè ex configuratione cum reliquis.

Etenim malefici morborum, & vitiorum authores in suis viribus validi & liberi, itaut nullus beneficorum ex benigno radio eos intueatur neq. aliquis beneficorū famuletur luminaribus apud angulos inuentis. siue si malefici eleuantur super beneficos: efficiunt morbos omninò incurabiles: quoniam tunc nulla datur vis inter sidera, quæ maleficorum malitiam comprimere possit.

Si verò benefica Stella, Suddit è contra Ptol. *iuxta præcipuas configurationes posita supergrediuntur supra maleficas, quæ morbis vitijsq. occasionem dabant, tunc vitia decentia erunt.* Ex hoc capite docemur eleuationem siderum super sidera, nullo alio modo contingere, quicquid afferant de hac re professores, nisi quando Planetæ se se inuicem aliqua quauis familiaritate intuētur; ille qui robustiores vires obtinet dicitur eleuari, & supergredi; qui verò minores comprimi; & eo magis, & maiori cum effectu, quo maiores illi vires, minores isti nanscicuntur: atq. si maleficæ super beneficas de radio hostili; è contra si beneficæ super maleficas de radio benigno.

Itē sciendū quod etiā sæpe cōtingit eleuatio inter Planetas inter se inconiunctos; si ipsi intueantur significatorem aliquem; nam significator ille proculdubio afficitur ab omnibus se intuentibus magis tamē ab ijs, qui robustiores sunt; quare robustiores dicuntur eleuari supra infirmiores, quamuis inter eos non intercedat familiaritas: adeoquod in ijs quæ decernūtur à significa-

gnificatore appareant primo & principaliter qualitates robustiorum: infirmiorum verò vel minus, vel nihil, vel corruptæ.

Ait rursus Ptolemæus, *tunc vitia decentia erunt, minimoq. dehonestamento, morbi mediocres, beneq. tractabiles, & nonnunquam facile curabiles, quando videlicet benefica Stellæ Orientales sunt.* Igitur beneficæ eleuatæ supra maleficas, reddunt morbos & vitia decentia, sine dedecore, morbos ipsos ad mediocritatem ducunt, vt benè agantur, atque tandem facilè curentur, si illæ orientales sint: Quoniam Planetæ orientales robustiores sunt, quam sint occidentales.

Ac Iuppiter quidem humanis auxilijs, per opes, & dignitates tegere vitia solet, morbosque mitigare. Cum Mercurio etiam medicamentis, & medicorum concilijs. Iuppiter quoniam est fortuna maior opem affert è vestigio, dignitate, diuitijs, necessarijs: cui si famuletur Mercurius, medicamento, & medicorum consilio. Quare si inter Iouem & Mercurium nulla intercedat familiaritas: interim maleficus vtrique sit hostiliter familiaris, morbum à medico non cognosci censerem.

Veneris Stella deorum prædictionibus, & oraculis, vitia quodammodo elegantia, plausibiliaque efficit, morbos diuinitus petitis curationibus mitigabiles. Venus morbis medelam exhibere solet præter spem: ideoq. vulgus, maximè mulierculæ diuinitus penè, acceptam putant. Dixi, penè, loquendo de leuibus casibus, ad quos naturalis etiam causa peruenire potest: Nam grauiores, vt miracula, nulla causa naturalis valet attingere, nisi solus Deus O. M.

At si illi Saturnus congressus sit non sine ignominiosa pœna, & vulgo nota &c. Si Mercurius non sine subsidio, & lucro ad ipsum ægrum ex morbis, & vitijs redditur. Quoniam Veneris vires longè infirmiores sunt, quam Iouis; ideo si Saturnus Veneri iungantur, quod à Venere bonum emanat ad hanc rem demonstratur cum ignominia & nota apud vulgum. At verò Mercurius quia cum bonis bonus est, superaddere solet bonum, & proficuum; nimirum ex industria, & solertia.

Magnopere autem iuuare potest medicam artem quod cum certum sit dum homo ægrotat graui infirmitate, & maximè

febre; si æger laborare soleat comite vitio, vel morbo in aliqua corporis parte, vel in aliquo humore; & hoc vitium, vel morbum habeat familiarem, contingat necesse est, quod in ea parte, vel humore maior vis morbi, vel aliquod graue symptoma tunc appareat: imò plerumq. accidit originem nouissimæ ægritudinis esse in ea parte, vel humore peccante: Si medicinæ professor præcognoscat læsam partem, vel peccantem humorem habitualem ex constitutione genesis, qui est, qui non videat quantum commodi possit ille haurire ad medelam adhibendam saluti profuturam?

CAP. XIX.

De Occulorum vitijs.


D morbos in specie descendentes declarandos incipimus ab oculorum vitijs, tum quia inter omnes sensus visio peculiaris est,& prę cunctis nobilissima; tum etiã ne discedamus ab ordine,& doctrina Ptolemæi: subijcimus verò deinde nonnulla,quæ à Ptolemæo non sunt adnotata circa morborum species, & causas, ab eius tamen doctrina sparsim deducuntur.

Axioma Philosophorum est, quod effectus habeat semper aliquam relationem similitudinis ad suam causam, siue sit causa vniuoca, siue equiuoca, Rationi propterea consentaneum est, quod sidera luminosa, & splendentia, lumen, & splendorem in effectibus producant; obscura verò obscuritatem & tenebras; itaut proprietates effectuum à causarum proprietatibus pendeant; vt in Cœlesti Philosophia diximus. Certum autem quod primò, & principaliter Sol, deinde Luna, tandem Venus, & Iuppiter clara, & splendenti micant luce; & inter Stellas fixas Syrius, Azimech, Fidicula, Fomahand, aliæque plures. Saturnus verò & Mars obscuram habent lucem; & inter fixas nebulosæ, & Galaxia. Assumit verò Ptolemæus Solem, & Lunam in significatores oculorum, siue dicamus in subiectum; sidera verò, quæ diximus, in promissores.

Ait ergo. *Orbitates enim portenduntur, alterius quidem oculi, quando Luna solitaria in præfatis angulis reperitur, aut cum Sole congrediens, aut ei ex aduersum posita: & cum in alterutra reliquarum erga Solem*

lem configurationum, applicatur nebulosarum Stellarum alicui in signifero conuersantium: ut ijs quæ in Cancri constellatione sunt, aut Pleiadi, aciei quoq. sagittæ Sagittarij, & aculeo Scorpionis, partibusque Leonis circa Berenicis crinem, item vrnæ Aquarij. Hæc est prima, & simplex constitutio cæcitatis, quę altero tantum oculo minitatur: & in qua nō compræhenduntur malefici, sed tantummodo luminarium inter se vel synodus, vel oppositio in cardinibus Horizontis cum applicatione fixarum Stellarum ex nebulosis, quas etiam nominat. Cuius verò oculi an dextri, an sinistri indicetur orbitas Ptolemęus non declarat: censeo autem quod compræhenderit in distributione omnium partium dextrarum Soli, & sinistrarum Lunæ. Igitur in hoc casu si obscuræ Stellæ se teneāt ex parte Solis, vtiq. dextrū oculū indicāt fore orbatū; si verò ex parte Lunæ sinistrum: si verò ex parte vtriusq. in oppositione si Luna maneat supra terrā significat sinistrum: si verò Sol maneat supra terram, dextrum. In sinodo verò de die dextrum, de nocte sinistrum.

Amplius quando Mars, aut Saturnus ad Lunam in angulis sitam, & occidentalem ipsi orientales ascenderint: aut hi ipsi in centris constituti Solem antecesserint. Hæc est altera constitutio orbitatis vnius oculi, ex maleficorū habitu, & familiaritate ad luminaria: quoniā malefici obscura luce pręditi sunt, & quæ producit perniciosas qualitates. Oportet autem Lunam in angulis iam expositis inuentam occidentalem esse, idest in quadrante occidentali ad Solem, & ad ipsam iungi maleficam orientalem; certum autem est quod quadrantes Lunæ à Sole orientales, fiunt occidentales maleficis; & è contra. Erga Solem si malefici sint orientales, cardini orientis, vel occidentis propinquiores in quo casu orientales proculdubio ponuntur erga solem; dūmodo tamen intra sphæram actiuitatis eorum inueniatur vel sub Parallelo, alias enim censeo, quod fortè non sequeretur cæcitas: alteri oculorum minitantur orbitatem. Si erga Lunam sinistro, si erga Solem dextro.

Si verò ambobus luminibus siue in eodem signo, siue e oppposito, sicut diximus, sitis configurentur, matutini quidem ad Solem comparati, ad Lunam verò vespertini,

tini vtriq. oculo minitantur; Mars quidem à plaga, aut pulsatione, ferro, aut vstione cæcitatem inducit: & si Mercurio conciliatus est in palestris, & gymnasijs, aut ab hominum malorum incursibus. Saturnus verò per suffusionem, frigus, glaucomata, & his similia. Vbi cauendum quod Ptolemæus titulo vespertini ad Lunam non intelligit respectum vespertinum ad Lunam: sed cum sint vespertini ad Solem comparati, tunc fiant infensi ad Lunam; & id ratione similitudinis sexus, & conditionis id quod obseruandum semper, & in omni capite quando Ptolemæus vocat vespertinos ad Lunam. Quoniam igitur ambæ maleficæ Stellæ videlicet Saturnus, & Mars habent lumen subobscurum, atq. insuper de se causæ sunt infirmitatis, putredinis, & violentorum casuum, si cum ipsis Luminaribus, iungantur, vel è regione opponantur in Horizonte siue orientis, siue occidentis, orbitatẽ afferunt vel vnius, vel vtriusq. oculi: vnius quidem si vni tantum luminari obsint; vtriusq. verò, si vtriq. Atq. cum hac differentia, quod Mars à percussione, plaga, ferro, aut igne. Saturnus verò per frigus glaucomata, suffusionem, & his similia. Mercurius verò si maleficorum naturam induat, per ludũ, aut hominum malorum incursum.

Vbi notandum quod si contingat huiusmodi constitutio infortunarum etiam cum ad mixtione fixarum nebulosarum erga luminaria non in cardinibus, sed extra cardines; non cæcitatem, sed solum infirmitatem, & debilitatem aciei visus significat: nam ad effectus magnitudinem, vbi agitur de vitijs, & morbis corporis, requiritur vt & luminaria, & maleficæ maneant in cardinibus Horizontis, vt docet Polemæus, non despiciendo sextam domum, sicut diximus.


Quod si non omnes inueniantur in angulis Horizontis, sed aliqui tantum, siue sint malefici, siue luminaria, reliqui verò maneant in cardine Culminis vel Imi in radio quadrato ad illos, maximè si cum luminaribus inueniantur fixæ nebulosę: Dico idem significari, sed cum diuersitate modi causandi: quoniam quæ in angulis Horizontis sunt maleficæ, significant ferè, & solent suos effectus medijs qualitatibus producere, vel ostẽdere in natali; quæ verò in angulis Culminis & Imi violentis casibus statuto tempore. Deducitur hæc doctrina ex ijs, quæ

in eodem capite habet Ptolemęus agens de gibbis claudis, & luxatis; vt suo loco nos quoq. dicemus. & censeo obseruandam esse in singulis morbis, & vitijs corporis.

Tandem si vel ambo luminaria, vel alterum maximè conditionarium reperiantur in via lactea vel iuxta caput, vel caudã Draconis, solent inferre oculorum aliquod vitium.

CAP. XX.

De Sterilitate, & partium genitalium vitiys.



Tolemæus postea quam egisset de oculorum morbis, subiungit de vitijs partium genitalium, siue de causis sterilitatis. Pro qua re præcipit obseruandum habitum maleficorum erga Venerem consistentem in prædictis Horizontis cardinibus.

Rursus ait, *Venus quando constituitur in aliquo prædictorum angulorum, maximè in occasu cum Saturno congrediens, aut ei configurata, aut loca mutuo cum eo ermutans.*

Ex quo primò docemur, quod Planetæ quando permutant sua loca videlicet signa Domorum, censentur similiter se habere ac si essent corporaliter iuncti: igitur sic stante Venere cum Saturno, *& super eam Martis sidus attollitur, aut ex opposito ferit, maribus quidem sobolem negat, fæminis verò abortiones decernit, ac fætus laceros, maximè in Cancro, Virgine, & Capricorno, ac si Luna in ortu Marti se applicat.*

Quoniam enim fæcunditatis causæ sunt Iuppiter, Venus, & Luna, vt docet Ptolemæus lib. 1. cap. 4. atq. præterea Venus dominatur hepati, & renibus, partibusq. genitalibus; si ipsa Venus infeliciter ab vtroq. malefico afficiatur in cardinibus Horizontis maximè in occasu, ex quo loco proijcit oppositionem ad Horoscopum, vitiosas, & morbosas reddit renes, hepar, & partes genitales. Item Luna in ortu applicans ad Martem eumdem morbum producit: cum enim Luna præsit ventriculo, vt dixerat Ptolemæus in exordio capitis, vitiata potentia ventriculi causa flaxebilis, quæ à Marte producitur, non sinit ex alimento generari sanguinem fæcundum, sed omninò

ninò sterilem morbosum, vnde semen quoq. vitiatum, & sterile oritur. Hinc medicæ artis professor cognita causa sterilitatis poterit congruis medelis occurere.

Et notandum quod posita Venere cum Saturno, & super ipsam eleuato Marte, sequitur Venerem inter vtrumq. maleficum poni; at verò vbicunq. conueniant ambæ maleficæ violentos casus producunt, ita Ptol. lib. 4. cap. 9. & ad rem nostram sunt abortiones, & fœtus laceri. Cumq. Venus ponatur in Horizonte, qui nascuntur in hac constitutione; non sunt immunes à grauissimis morbis ex praua hepatis, & pituitæ affectione propter concursum vtriusq. Bilis.

Dicit verò Ptol. oportere, quod hæ constitutiones accidant in ortu, vel quod deterius est in occasu, iuxta suum in exordio capitis positum præceptum. Nam præ cæteris opinio grauissimorum Authorum est, quod Lunæ collocatio in his cardinibus, nempe Horizontis, semper inferat intemperiem: Cum enim de se Luna valde humida sit, inferit in constitutionem corporis excessum humorum, & eorum fluxionem, & redundantiam; quare huiusmodi Lunæ collocatio nunquam vacat à suspicione morborum.

Quod si Mercurius Veneri hoc modo configuretur cum Saturno, & rursus Mars super eam elatus sit, vt ex aduersum respiciat, eunuchi, aut hermaphroditi, & quorum genitales meatus concreti sunt, in lucem producuntur. Hinc accipimus quod Mercurius quando configuratur cum Saturno maximè de hostili radio, infert obstructionem; quoniam propriè Mercurius significat coagulum; cum enim naturam omnium, cum quibus familiaritatem contrahit, suscipiat omnium, & singulorum cum omnibus, & singulis coniungit; imò in se ipso omnium, & singulorum naturam colligit, & miscet vnde etiam mixtum sexum, idest hermaphroditos generat potissimè iuxta figuram Leporis. Mercurius quoq. vt infra dicemus imò & diximus in superiori Tractau. est causa morbi comitialis, qui aliud non est, vt docet Galenus, nisi obstructio quædam.

His ita habentibus cum etiam Sol configuratur, et luminaria, vnaq. Venus masculina sunt, & Luna occidentalis, & ad eam malefica per proximè sequentes partes

ascendant, mares quidem euirati nascuntur, & testium vitijs afflicti, præcipuè in Ariete & Libra: fæminæ verò infrugiferæ, & steriles. Obseruandum hic est, quod Ptolemæus pro sterilitate assumit maleficium infortunarũ erga significatores masculę cõditionis:nãLuna quoq. in quadrantibus occidentalibus erga Solem masculescit. Cuius rei causam censeo esse, quod prima origo fæcunditatis se teneat ex parte maris, à quo nimirum prima origo satus: imò dico amplius; etiam ex parte fæminæ valet conditio mascula ad fæcunditatem; nimirum fouendo, alendo, perficiendo fætum &c. quæ sunt effectus virtutis actiuæ etenim generare filios tam in mare, quam in fæmina actio quædam est virtutis agentis; quod si in satu fæmina se habet merè passiue: differunt inter se satus, & generatio: atque in generatione etiam fæmina concurrit actiuè. Ideoque Ptolemæus spectat conditionem masculam, atq. signa Arietis, & Libræ; in quibus nimirum incipiunt qualitates actiuæ masculæ, vt alibi diximus, & demonstrauimus. Item spectat luminarium concursum, quoniam ad membrorum abscissionem,& defectum deformitatis corporis, semper requiriturLuminarium testimonium: Tandem ponit conditionẽ:quod Luna sit occide ntalis,in quo habitu exsiccat, & suã fęcundam humiditatem à partibus externis ad internas idest à peripheria ad centrum reuocat, vt sæpius diximus.

Circa sterilitatem notandum vltimo loco; quod non modo supradictæ constitutiones causæ sunt sterilitatis, verum etiam praua Culminis affectio sit causa validissima, vt habet Ptolemæus lib. 4. cap. 5. vbi agit de prole.

CAP. XXI.

De Linguæ impedimentis.



Rosequimur de morbis in specie iuxta ordinem doctrinæ Ptolemæi in proposito capite, in cuius initio cum dixisset,quod linguæ præest Mercurius, ideo præcipit obseruandum ipsum Mercurium pro linguæ impedimentis; quæ cum impediri non possit, nisi vel priuatione, vel tarditate motus ad exprimenda verba,quæ proculdubio affectiones procedunt à frigiditate cuius proprium est condensare & congregare; iure optimo si

Mer-

Mercurius congrediatur cum Saturno, poterit linguæ impedimentum, vel vitium inferre, ait igitur Ptolemæus. *Impedita lingua sunt & blæsa, ac balbutiente quotquot Saturnum, & Mercurium habent in prædictis angulis congredientes cum Sole, maximè quando occidentalis etiam est Mercurius, & ambo cum Luna configurantur*. Saturnus quando iungitur Soli lustrat vltimum quadrantem erga ipsum; in quo habitu maximè frigefacit, & exsiccat, versatur enim in sua vltima occultatione: Et cuicunq. tunc iungatur frigidas, & siccas qualitates infligit: Quod si & ille, cui iungitur maneat in habitu occidentali, eo amplius frigefit, & exsiccatur. At verò pessimus habitus Mercurij est, quando post primam stationem, retrocedens iungitur Soli manet enim tunc in quadrante occidentali: nam cum sit vespertinus nobis minimè, vel vix lucet, quoniam tergum obscurum nobis obstendit: ibiq potest inuenire Saturnum occidentalem.

Cũ verò ad deformitates quascunq. & ad membrorũ imperfectionẽ, vel stuporẽ omninò requiratur concursus luminariũ, & apud cardines Horizontis, vt iam hactenus dictum est; concurrente Sole, & Luna, penitus mutuos efficit Mercurius occidentalis iunctus Saturno, & vterq. Soli in angulis Horizontis, & Lunæ hostiliter configuratus: eoq. magis censeo ego in signis mutis, quæ sunt triplicitatis aqueæ, & quæ referunt animalia prorsus muta. Quod si ex his omnibus iam dictis aliqua desint afferent minores imperfectiones; Et ego vidi sæpius à Mercurio in Cancro, & Scorpione, maximè verò in Piscibus manente, & in radio hostili Saturni linguæ aliquod vitium allatum fuisse cæteris requisitis non obstantibus.

His verò forte adiunctus Mars soluere plerumq. Solet linguæ inuolutionem, postea quam Luna illi obuiam fit. Mars tantum abest, quod afferat impedimentum linguæ, vt potius efficiat velocitatem exclamationes, petulantiam, & nimiam in loquendo audaciam, & frequentiam. Cum verò Mars Mercurio hostiliter configuratus, vel corpore iunctus efficiat homines ad iram, vindictam, fraudulentiam, & rapinam procliues; sapienter dictum est cum verbosis noli contendere verbis.

Optima igitur ratione Ptolemæus docet, si erga Mercurium con-

conueniat Mars quodplerumq. soluit linguæ impedimentum; supponit verò, quod impedimentum iam sit sequutum proculdubio, deinde quod vt plurimum Mars tollat hoc impedimentum, & notat Ptolemæus quod tunc aufert, quando occurrit Lunæ per Dire ctionis motum, & ex quauis familiaritate. Nam re vera, vt omnes Philosophi admittunt contraria contrarijs curantur: & hac ratione Astrologiæ quondam Professores asseruerunt, quod ex coniunctione Saturni, & Martis coalescat temperata causa, & benefica apta ad producendum bonum. Verum quod ex duobus maleficis exurgere posit causa benefica nõ intelligo: Quod Mars possit quidẽ soluere aliqua impedimenta Saturni, quoad ea quę frigi da sunt; atq. è contra Saturnus tẽperare impedi mẽta Martis quoad ea, quę sũt ęstuãtia pulchrè se habet ratio, contraria enim contrarijs curantur sicut dicit Haly, alijq. Authores infortunas ad afferendum bonum auaræ sunt nimis, & infidæ; sunt enim veluti venen ata quædam corpora: vt Vipéræ caro curat lepram, estq. materia Theriacæ optima: Anthimonium extrahit ex pectore, & ventriculo copias fluentis humoris; veruntamen cautè vtendum, & non nisi præparatis, & temperatis corporibus illis venenatorum: ipsa pharmaca ex sena, Reubarbaro, Scamonea &c. prosunt, sed præparata, atq. in corpore, vbi inueniant sua contraria ad pugnandũ, alias pugnant cum partibus nobilioribus corporis ad interitum; ideoq. benè valentes non conducit purgari: nihil enim noui, nisi malum sequi poterit.

Ex hoc pręcepto medicinę professor iuxta Hippocratis Aphorismum, extremos morbos tolli extremis remedijs, poterit contra contumaces Saturni morbos assumere in auxilium ipsũ Martem; atq. è contra, sed omninò prudenti modo, & cautelis, atq. præparationibus. Re vera igne, & ferro tolluntur morbi Saturni: è contra Martis morbi frigida aqua, & hæc nõ rarò contingunt. Hinc verò nõ sequitur ex Saturni, & Martis coniunctione coalescere causam benignam beneficam; sed quod inuicem frangant excessum suarum qualitatum, quod verum esse, vltrò fateor.

Quoad concursum Saturni, & Martis concludo quod radio inter se benigno, atq. etiam vnione frangunt inuicem excessum suarum qualitatum; sed de hostili exciant, & exasperant inuicem


uicem ad summum malum producendum. Et in electionibus temporum vtendum eorum concursu, non nisi ex radijs benignis, tum ad inuicem, tum erga moderatores: quod si & beneficæ concurrant temperant, & præparant eorum venenatas qualitates ad bonum, & vtile maiori securitate promouendum.

Ad rem nostram Mars iunctus cum Mercurio, licet non afferat impedimentum linguæ, poterit tamen abscindere Linguam vel casu, vel vulnere. Luisius Manzinus vir nosti temporis eruditissimus, cuius extant opera præclara; narrabat mihi, quod adhuc puer cum excidisset, proprijs dentibus abscidit linguam eousq. quo sola pelle pendebat eius cuspis; cui composita noua carne in integrum fuit refecta. qui quidem effectus proculdubio Marti, & Mercurio adscribendus videtur.

Ex hoc capite confirmatur doctrina, quam sæpius habuimus; nimirū quod Planetæ qui præsunt partibus, & membris corporis, si infeliciter se habeāt vel ratione loci Zodiaci, quia maneant in signo suæ naturæ contrario; vel in radio hostili alterius Planetæ sibi contrarij; vel occidentales à Sole, vel combusti, vel cum Stellis fixis maleficis, vel cum cauda Draconis, vel in mansione mundi cadente: ille Planeta infeliciter afficit partem illam corporis, cui præest, & ex qualitate, vel accidente, que sequuntur naturam impedimenti, quod super ipsum planetam cadit. Et hæc doctrina non modo valet quoad corporis, & eius partium affectiones, verum etiam quoad mores, actiones, munera, & in omni rerum genere. Hic non prætereundum quod ad physiognomiam spectat: Quoniam Mercurius præest menti moribus, & sensibus internis; quicunq. vitio linguæ laborat, cum signum sit Mercurium in suo natali infeliciter, vt dictum est positum esse; argumentum quoque esse, ipsum nō carere animi vitio, vt vel auaritia, vel mēdacio, vel animi duplicitate, vel ad scientias impotentia discēdas.

CAP. XXII.

De gibbis, claudis, & lu atis.



I vel lumina, dicit Ptol. *ad maleficos in certris hærentes ascenderint; aut ex opposito ab ipsis impedita fuerint; maximeq. Luna in nodis, siue flexuris constituta, aut in signis obnoxijs, nimirum Ariete, Tauro, Cancro, Scorpione, & Capricorno, vitia corporis eueniunt, gibbi scilicet, aut claudicationes, & luxationes.*

Notandum hic est primo. Quod in hoc vitiorum genere Ptolemæus non tantum in Cardinibus Horizontis intelligit constitutionem maleficarum erga luminaria, sed etiam in reliquis duobus Culminis, & Imi; sicut in sequentibus docet. Interim ex omnibus iam dictis apparet, quod malefici erga luminaria infensi causæ sint omnium morborum, & vitiorum in corpore: maximè verò manentibus tũ maleficis, tum luminaribus in angulis Horizontis, vel etiam in alijs.

2 Notandum, Quod Ptolemæus in hoc textu docet nos differentiam inter tempora effectuum, quæ ab Horoscopo, & Meridiano dependent: nam quæ sidera circa Horoscopum sunt ostendunt suos effectus in ipso fætus ortu; quæ verò circa meridianum post aliqua tempora. Et hoc est quod vult Ptolemęus, quãdo in alijs capitibus dicit tempora effectuum in genere cognosci pro ratione habitus erga Cardines, Vnde Cardanus distinguit totam hominis vitam in quatuor ætates, tribuendo singulas singulis cardinibus, & quadrantibus mundi. Horoscopum refert ad momentum natiuitatis, & ad totam pueritiam, Culmen ad perfectam ætatem, occasum ad senectutem, Imum ad mortẽ, & ad ea quæ postea sequuntur. Nihilominus tamen magis præcise effectuum tempora Ptolemęus docet exquiri supputatione motus Directionis in cap. 14. lib. 3. Quæ enim tradit Cardanus in genere accipienda sunt, & colliguntur ex doctrina, quam exponit Ptolemæus lib. 2. tract. de Eclipsibus.

3 Notandum. Quod malefici supra luminaria eleuati, & infensi, in Cardinibus meridiani collocati: vel si contrario modo luminaria maneãt in meridiano à maleficis lęsa, magis ostẽ-

dunt casus violentos, quam vitia, vel morbos per qualitates suscitatos.

4 Docemur genus, & speciem effectus in omni malefico-rum habitu erga luminaria cognosci potissimè à proprietate signorum in quibus luminaria à maleficis læsa ponuntur.

5 Quod corpus hominis diuiditur in quatuor potissimas partes; Prima compræhendit caput cum collo, & gutture. Secunda humeros brachia, manus pectus & dorsum cum omnibus internis comprehensis vsq. ad Diaphragma. Tertia Ventrem, renes, & intestina vsque ad initium coxarum. Quarta tandem coxas tibias, & pedes. Igitur hæ quatuor partes subijciuntur quatuor quadrantibus mundi per ordinem iuxta motum siderum vniuersalem circa mundum, tribuendo caput Horoscopo, Collum domui 12. &c. Insuper subijciuntur quatuor quadrantibus Zodaici per ordinem motus particularis in Zodiaco, tribuendo caput Arieti, Collum Tauro &c. iuxta ea quæ diximus in superiori Tract.

6 Nihilominus tamen propriè signa mobilia respiciunt cutim, fixa partes solidas, communia verò humores, & minutas partium coporis diuisiones, vt sunt venæ, arteriæ, nerui, manus digiti, intestina, pedes, & eorum digiti. Etenim mobilia significant initium, quoniam in ipsis incipiunt quatuor Anni tempora. initium verò membrorum est eorum terminus, qui est pellis: Fixa signa partes solidas; quia in ipsis figitur, & roboratur tempus; vnde Ptolemæus agens de Eclipsibus dicit quod signa fixa significant fundamenta, & substructiones. Cōmunia tandem signa præsunt humoribus, & minutis corporis partibus, quia multiformia sunt, & multiplicant suos effectus.

Quoniam igitur gibbi, claudi, & luxationes sunt accidentia partium solidarum, iure merito censentur oriri à signis fixis; Cutis vitia à mobilibus, vt dicemus; minutarum partium morbi, vt Chiragræ, podagræ &c. à signis communibus, & maximè ab eorum vltimis partibus, vt insinuat Ptolemæus.

Pari modo differendum de Domibus Cœli: nam puncta Cardinum cum domo cadente sequuntur naturam signorum mobilium; succedentes naturam fixorum, cardines communium: Vnde Ptolemæus lib. 2. cap. 7. agens de Eclipsibus ait, quod signa communia significant homines & Reges: deinde ait à me-

dio Cœli templis Regibus, ætati virili; adeout similes effectus referat ad signa communia, & ad Cardines & canendum quod Ptolemæus ibi enumerat etiam templa, sed non simpliciter quatenus sunt ædificia, sed potissimè quatenus sunt gymnasium rerum diurnarum. Attamen non recedendo à doctrina Ptolemęi, signa ab ipso supra nominata magis propriè significant membrorum luxationes, & deformitates, quoniam obnoxia sunt, ait ipse, idest imperfecta, & deformia. *Luna in nodis, siue flexuris*; idest tam in nodis, quam in flexuris. Nodorum quidem titulo certum est quod intelligit Caput & Caudam Draconis: flexurarum verò vtrumq. ventrem, idest vbi Luna maiorem latitudinem obtinet siue borealem, siue australem, puncta scilicet suæ reflexionis: in quibus omnibus locis Luna extorquet, inclinat & mutat cursum suum.

Vnde apparet, quod tum ex proprietate signorum, tum ex proprietate modi influẽdi deducit proprietatem effectuum.

Ait verò Ptol. *Si quidem cum ipsis luminaribus fuerint malefica ab ineunte ætate, & hora partus.* Si maleficæ maneant cum luminaribus in cardinibus Horizontis significant ea, quæ dicta sunt ab ineunte ætate, & hora natalis. *Sin autem in cæli fastigio fuerint, & supra luminaria eleuentur, eque regione ponantur, à grauibus periculis, nimirum præcipitationibus, aut latronum incursionibus, atq, quadrupedum. Si Mars hoc pacto elatus est ab igne, aut vulneribus tumultuosè illatis, aut latrociniis. Si Saturnus ex præcipitationibus, naufragio, artuum contractionibus.* Si maleficæ eleuentur quadrato radio supra luminaria, idest vel à Culmine, vel proculdubio etiam ab Imo, siue è regione opponantur, scilicet in Horizonte, dicit à grauibus periculis, post videlicet aliqua tẽpora, sicut diximus, Et si Mars eleuatur hoc modo infert plagas ab igne, et vulneribus, si Saturnus præcipitio, vel artuum contractionibus; causa scilicet affluentium frigidorum humorum: & propriè pituitæ vitreæ, quæ cum exsiccatur, & frigescit contrahitur in seipsam, secumque trahit artus, maximè concurrente Mercurio, cuius proprium est glutino quodam coniungere, & humorum turbam promouere.

CAP.

CAP. XXIII.

De vitijs, & morbis cutis.



Erum enimuerò vitia plerumque eueniunt in Signis tropicis, & aequinoctialibus Luna versante, ait Ptolemæus, *in verno quidem signo potissimum ex vitiligine in aestiuo ex impetigine, in autumnali ex lepra, in hiberno ex lentigine, & id genus alijs*. Quoniam enim cutis vitia, quæ in hoc capite Ptolemæus enumerat, leuia sũt, tũ etiam quia inhęrent externis membrorum finibus, iure optimo à signis mobilibus ortum habere dicuntur; quamuis prę cæteris lepra sit vitium, vel potius dicam morbus valde turpis, & grauis, quique sæpe sępius degenerat in morbos grauissimos vti sunt vlcus, aliaq. apostemata.

Ex hoc Ptolemæi textu docemur quod signa mobilia leuiores effectus poducere soleant quam cætera signa; attamen si in ipsis contingant Planetarum familiaritates de quibus Ptolemæus & in hoc capite, & alibi passim agit, graues effectus, & morbos afferunt breuiores tamen. Nam in hoc textu nihil aliud afferre videtur Ptolemæus cum nihil amplius addat, nisi quod Luna lustrans hæc signa mobilia, de se sola possit hæc leuia cutis vitia afferre. Attamen ego difficile credam, quod Luna sine maleficorum radijs aliquibus afferat neq. hæc vitia. Potius censerem, quod cum in hoc textu agatur de carnis ad extra vitijs; atq. caro subijciatur ditioni Veneris, posita Venere sub infortunarum radijs infensis, possit Luna si lustret vnum ex præfatis signis mobilibus definire speciem vitij cutis modo, quem hic docet Ptol.

Cęterũ vitiligo est macula quędam leuis in summa cute orta ex aliquo coctionis alimenti defectu, ex qua nihil sequitur molestiæ, sed tantum modo apparet ad visum. Impetigo pręter maculas emittit pruritum, & squamas leues, & oritur ferè ob eandem causam. Lepra verò præter maculas, pro squamis emittit crustas, & sub ipsis pus cum valdo molesto pruritu. Lentigo tandem est macula subrufa, vel nigra ad lentis similitudinem, ex qua item nulla oritur molestia. Præ cunctis igitur vitijs cutis lepra grauior est, magisq. infensa, quippe quæ

origi

originem habent à quadrante autumnali malencholico.

Notandum verò quod Ptolemæus hucusq. pro vitijs corporis vniuersis iam expositis præsupponit maleficas Soli infensas, esse hàbitu matutino: Lunæ verò infensas, esse in habitu vespertino; Cum enim hoc modo sequatur naturam luminarium, nihil corruptionis, vel putredinis producunt, quo morbos cum doloribus efficere valeant. Sequitur enim Ptolemæus. *Morbi verò accidere plerumque solent; quando in prædictis constitutionibus malefici configurantur modo contrario, videlicet vespertini cum Sole cum Luna matutini*. Quæ distinctio semper obseruanda est: nos verò prosequemur agere de alijs & vitijs, & morbis iuxta nostrum propositum institutum.

Tandem in hoc capite nō prætereundum quod Luna exiens à Sole vsq. ad plenilunium, idest vespertina, vbi augetur lumine, ducit semper morbos à centro corporis ad circumferentiam, sicut iam in superiori tractatu diximus. Si in hoc habitu à maleficis inficiatur, cum ducat morbos à partibus internis ad externam cutim, iuuat in hoc habitu ad producenda hæc cutis vitia.

Hinc emanat monitum censeo non leue quod huiusmodi morbi non sint liniendi vnguentis decrescente Luna: quoniam fortè continget vt ad internas corporis partes migrando, discrimen vitæ longè grauiori morbo conciliare possint.

CAP. XXIV.

De Apostematibus omnis generis.



Titulo Apostematis in genere intelligo omnes illos morbos, quos Ptolemæus lib. 4. cap. 9. enumerans Veneris effectus compræhendere voluit verbis illis, *quotquot humore nimirum increscente, aut corrupto nascuntur*. vt sunt Abscessus, sinus, Oedema, Scirrhus, Phlegmone Erysipelas, Vlcus, Herpes, Carbunculus, Cancer &c. huiusmodi, quorum propriæ qualitates medicæ Artis Professoribus notæ sunt.

In primis verò considerandi sunt hi morbi in genere quatenus omnes conueniunt in eo, quod ait Ptolemæus oriri è succrescenti, vel corrupta humiditate. 2. Quatenus differunt

runt inter se secundum naturã,& qualitates 3. Tandem quatenus inhærent in diuersis corporis partibus, vt vel in carne vel in Hepate, vel in Pulmonibus, vel in Liene, vel in capite &c.

Primò modo spectati prędicti morbi semper habent pro causa saltem partiali concurrente Stellã Veneris, atq.signa aquea, vel terrestria, sicut docet Ptol.

2 Modo quoniam prædicti morbi differunt inter se, vel ratione Bilis flauæ, vt Erysipelas, vel pituitæ, vt Phlegmone, vel Bilis atræ, vt Cancer; vel ratione primarum qualitatum &c. Data Venere causa morbi in genere, ad vnam particularem speciem deducit quicunq. Planeta communicat cum ipsa Venere, vt si Mars ad Erysipelaten, vel vlcus, vel inflammationes &c. Saturnus ad Cancrum &c. huiusmodi: Quare opus est vt perfectè cognoscamus naturam, & qualitates morborum: habent enim hi morbi singuli suas proprietates, vt quidam intumescunt, & augentur mole; alij potius dimittunt, & absumunt carnem; alij tegunt crusta; alij denudant carnem; alij apparent inflammati; alij frigidissimi, vt ideo prorsus nigri, nigredo enim frigiditatis, & scicitatis effectus est; alij serpunt & inconstanter de vna ad aliam partem migrant; alij vice versa radicibus altissimis inherentes quasi scopuli manent immobiles, alij apparent in modum spongiæ; alij ad instar fistulæ; alij densantur, & indurescunt, vt ossa; alij emittunt Lapides, vel calcem; alij alios ostendunt effectus; adeoquod mirum videatur tantam oriri varietatem in huiusmodi morbis. Qui augentur, originem habent à signis omninò humidis, vti sunt signa triplicitatis aqueæ, concurrente Luna aucta lumine; qui diminuunt & deuorant à signis voracibus, vt est Leo, decrescente Luna, & Mercurio occidentali: qui tegunt crusta à Cãcro, & scorpione: qui denudant à Piscibus: inflammati, quando Mars eleuatur supra Venerem maximè à signis igneis; frigidi, quando Saturnus à signis frigidis; qui serpunt oriuntur à signis mobilibus; qui fixi manẽt, à fixis; ĩ modũ spõgiæ vel fistulæ morbi, quando concurrit Mercurius cum Marte erga Venerem in signis voracibus, vel pascentibus; morbi qui densãtur, vel emittunt lapides, vel calcem, habent pro causa Saturnum, & signa terrea erga Venerem. Vides quod vniuersa, & singula secundum proprietates signorum, & siderum requirenda sunt.

3 Modo

3 Modo spectandum est qualis sit, & cuius naturę tum absolutæ, tum accidentalis ille Planeta, qui cum Venere communicat; tum demum quibus in signis, & domibus inueniantur ipsi, & Luminaria, maximè quod est conditionis quodq. cum illis configuratur; atq. etiam Horoscopus: Hinc etenim cognoscemus partem corporis laboraturam, sicut cum Ptolemæo diximus supra suo loco.

CAP. XXV.

De Podagra, & chiragra.



Os morbos Ptolemæus lib. 3. cap. 16. affirmat originem ducere à postremis partibus signorum, quando scilicet Planetę morborum authores in hijs locis inueniuntur. *Et quæ in postremis partibus signorum*, ait ipse, *reperiuntur astra, extremis artubus morbos, & vitia inferunt, per humorum scilicet defluxus, vnde lepræ, & vniuersim podagræ, & chiragræ oriuntur*. maximè censeo ego si angulos Horizontis possideant, vel ad ipsos hostiliter configurentur. Ratio autem euidens est, quoniam si totum signum influit in totam corporis partem, consentaneum est, quod initium signi respiciat initium partis, medium medias partes, finis postremas. At verò initium membrorum se tenet ex parte radicis, & connexionis versus principales, & maiores partes, quæ proculdubio sunt eę, quæ circa Cor.

Quoniam verò in hoc capite agitur de morbis manuum, & pedum; manibus magis propriè dominantur signa Cancri, & Geminorum atq. superiores domus; pedibus verò signa Piscium, Aquarij, & Capricorni, atq. domus 3. & 2. vsq. ad locum initij Crepusculi matutini. Igitur si authores morbi, quorum titulo intelligimus & maleficas, & luminaria, atque Horoscopum, si inueniantur in postremis prædictorum locorum finibus cum luminarium, & Horoscopi à maleficis lęsione, chiragram, vel podagram pro diuersitate locorum inferunt.

Cæterum, an hi morbi futuri sint curabiles, nec ne ex Planetarum bonorum concursu, & eleuatione cognoscitur; nam si non concurrant benefici, vel super ipsos eleuentur malefici morbi authores, omninò incurabiles erunt: Quod si benefici

validi,

validi, & robustiores, quam malefici morbi authores existant, curabiles erunt morbi, id quod in cunctis morbis, & rerum capitibus obseruandum est, vt habet ibidem Ptol.

CAP. XXVI.

De morbis contagiosis.



LVes cuius vis generis illa sit, veneni proprietates videtur habere quasdam: nam sicut veneni natura est producere successiuè suas qualitates vel ad interiores vel ad ápliores semper corporis partes, ita lues internas & nouas partes petit afficiendo successiuè proximè sequentes: rursus vbi venenum Ingressum fuerit ibi tumo em, & inflammationem doloresq; exsuscitat, similiter & lues; contactu communicatur venenum, ita & lues.

Sciendum est plures inueniri species contagiosi morbi; quędam adeo valida est qualitate putrescente, vt paruo temporis interuallo interficiat, occupando videlicet nobiliores, & principes corporis partes, carbunculis, glandulis, exanthematibus, febre, &c. vt in pestilentijs: quædam afficit solam cutim lepra, scabie, herpete, vlcere &c. quædam est affectio occulta, ex qualitate salsa, vel acri mordaci, qua Pulmones inuadit, & Phthisim efficit; quædam fertur ad Hepar, quædam ad splen; quædam tandem inducit dolores vsq. ad ossa, vt est lues gallica, & species monstruosas inducit vsq. ad luxationem; Rursus quædam non propagatur nisi in vno tantum genere animalium; quædam ambit etiam plura genera.

Veneficos effectus Ptolemęus ad Venerem praue affectam refert; quare contagiosi quoque morbi ad Venerem referendi sunt, cum hac differentia, quod veneficos effectus ostendit, si cum Stellis fixis imaginum venenatorum inueniatur, vt, i sunt fixæ Scorpionis, Ophiuchi, Hydræ &c. contagiosos verò, si in signis humanis ponatur; siue hæ fixæ, & imagines maneant in Horoscopo cum Veneris inфeliciter se habentis hostili radio; siue malefici occupent angulos eleuati supra Venerem. Rursus si Luna hostiliter à maleficis læsa familiaritatem habeat quamcunq. cum Venere. Præ omnibus autem Zodiaci locis punctus Autumnalis obnoxius est circa finem Virginis, & initium Libræ, vnde turpis lepra solet oriri: tum demum signa

triplicitatis aqueæ maximè Scorpius, & Cancer.

Cæterum cũ Venus voluptatis, & incontinentiæ causa sit, vt alibi etiam ex Galeno diximus, tali modo præbet occasionem cõtagionis, & morbi; quamuis nõ modo contactu immediato, sed etiã mediato, idest tãgendo id quod ab ęgro fuerat tactum, communicari solet contagiosus morbus; imò per aerem, & halitum, atq. indumenta.

C A P. XXVII.

De febribus in genere.



Voniam in hoc tractatu non solum intendimus agere de vitijs, & morbis corporis, qui ab ineunte ætate vsq. ad finem vitæ perseuerant, sed etiam de ijs, qui incipiunt diuersis post natalem temporibus decursus vitæ, tandem etiam de ijs, qui diuersis temporibus eueniunt, sed vel breuiori, vel diuturniori durant tempore, sicut sunt præ cæteris febres: in hoc capite agemus de causis febrium, quæ proculdubio sumuntur ex occursu moderatoris vitę per motum Directionis ad varias, & diuersas causas, quæ febres inferre valent: supposito tamen quod in natali nihil vehementius ob sit, quod grauiores effectus, quam sint febres producere aptũ sit: sicut profitetur Ptolemæus pluribus locis.

Galenus lib. 1. de diff. febr. cap. 3. atq etiam in alijs locis definit febrim esse calorem præter naturam in corde accessum: itaut omnis febris, quęcũq. sit etiã quę oritur ab atra bile, atq. à pituita qualibet semper connotet calorem præter naturam. Cuius verò naturæ sit iste calor præter naturam disputant ad inuicem Medici, & Philosophi; complurimi enim censent nõ differre à natiuo vitali, nisi tãtũ secũdũ gradus intẽsionis ipsius vitalis caloris. Nos verò, sicut iam ex dictis, & probatis in superiori tractatu clarè patet, omninò putamus calorem febrilem esse diuersæ, imò etiam contrariæ naturæ à calore vitali: de qua re non pertinet ad titulum huius capitis denuo disputare.

Galenus igitur in præfato lib. 1. de diff. feb. dicit maximas, & principales differentias febrium esse, quæ sumuntur ab ipsa febris substantia: quæ autem sit hæc substaniæ differentia paulo

infra insinuat dicens; *Nam aut incalescit ipsius cordis corpus; aut qui continentur in ventriculis eius humores; aut sola quidem aerea spiritalisq. substantia sufficienter incaluit.* Cæterum solidas partes cum Hippocrate vocat continentia; humores contenta; spiritus impellentia.

In sequenti libro Galenus affert differentiam earum febrium, quæ ex humorum putredine oriuntur: dicit autem intermittentes quidem febres esse in triplci differentia; scilicet quotidiauam, tertianam, & quartanam: & quotidianam ex pituitæ, tertianam ex flauæ bilis, quartam ex atrebilis putredine propagatam oriri. Rursus Galenus loquitur de continuis, quarum affert nonnullas differentias. Tandem sermonem habet de Ephemera, quæ oriatur ex simpliciter calefacto sanguine, non ex putrido; quod si putrescat sangnis aliæ oriuntur febres. Videntur igitur sex esse species febrium; quatuor ex humoribus oriundæ, vna ex aerea spiritali substantia, & alia ex partibus solidis. quibus sic stantibus differentijs febrium.

Quod spectat ad rem nostram ex dictis manifestum apparet, cum febres differant inter se iuxta differentiam humorum, & partium substantialium, quarum singulis dominantur singuli Planetæ: quod omnes, & singuli Planætæ fiunt causa febris etiam Iuppiter, & Venus, qui ex natura sua benefici sunt, & temperatæ qualitatis. Vt Saturnus quartanæ: Iuppiter Ephemeræ, vel alterius ex putredine sanguinis: Venus quotidianæ: Mars tertianæ &c.

Cum verò omnis febris connotet necessario calorem extraneum; oritur hic difficultas, quomodo sit possibile produci febrē à Saturno, & Venere, quorū propriū est frigefacere, & producere humores frigidos, vt est atrabilis, & pituita: āplius, & à Ioue, qui temperatæ naturę est; calor autē febrilis est saltem excessus quidam, siue calor extraneus. Hæc difficultas petit quomodo Planetę vniuersaliter sint causæ febris. Respondeo, quod singuli Planetæ non sunt causæ proximæ, & immediatæ febrium, sed remotæ; producunt enim in corpore, & in humoribus eas dispositiones, que deinde tanquam instrumenta Planetarum immediatè generant calorem febrilem. Nam Saturnus cum præsit atræ bili, lieni pituitæ vitreæ, & ossibus, si alteret has partes, vel putrefaciat, vel atram bilem multiplicet,

& ad alienas ſedes tranſmittat: vel ſuſcitet pituitæ fluxionem? ex obſtructione vel putredine, vel redundantia, vel occupatione nobilium partium. illico ex leui cauſa calida proxima accenditur febris quartana cum calore extraneo atq. ſimiliter de reliquis; de Marte non eſt difficultas. Calor enim febrilis ſequitur naturam materiæ, cui inhæret: vt exempli gratia calor ignis ex quercu geniti potentior eſt quam eius qui fit ex populo: in ſene febris ſemper leuior eſt, quam in iuuene; nihilominus tamen in vtriſq. cauſa mortis eſt.

Verumenimuerò non propterea mihimet videor ſatisfeciſſe: quoniam Iuppiter, & Venus, cum ſint benefici, rationi conſentaneum non eſt, quod poſſint ſuſcitare, vel putredinem, vel alterationem noxiam, vel quamcunq. aliam cauſam febris per motum videlicet Directionis occurrendo moderatoribus vitæ: potius enim ſeruare ſolēt in maleficorum occurſu; vt habemus apud Ptolemæum cap. de moderanda vita. igitur potius ſanitatem, quam febrilem alterationem aliquam apti ſunt producere Iuppiter, & Venus. Reſ. Quod humores, & partes corporis illud temperamentum, vel retinent, vel acquirunt, quod Planetæ, qui eis præſunt; talis enī effectus qualis cauſa: Quoniā verò plerūq. contingit ſingulos Planetas etiam Iouem, & Venerem infeliciter poni; varias propterea, & diuerſas qualitates induere, vt ſæpe dictum eſt; tunc prauum, & putredini obnoxium temperamētū, varias quoq. & diuerſas qualitates humoribus, & partibus corporis quibus pręſūt infundūt ipſi Planetę ſuis ſtatis tēporibus, qua data pręuia diſpoſitione putredinis, leui occaſione, & cauſa accenditur febrilis calor: Videmus in fæno humido accendi ignem, fimum incaleſcere, plurimas aquas minerales erumpere calore feruentes, fruges, carnes & mixta queq. licet de ſe optima tandem putredinis qualitates extraneumq. corrumpentem calorem concipere atq. plures ſimiles caſus. Nihil autem fit actu, quod non præexiſtat potentia. Omnes igitur, & ſinguli Planetæ cauſæ ſunt febris in potentia videlicet introducendo in humores, & partes corporis quibus præſunt, putreſcentes qualitates.

Non deſunt viri eruditi, qui dicant aqud Saturnum quoq. & Venerem, & Iouem inueniri actualem calorem, qui febrilis poſſit eſſe, quorum planetarum calor comparatiue ad calorem

Mar-

Martis leuior est. sed hæc loquendi sentẽtia mihi non probatur; quoniam non valdè differunt secundum gradus inter se febrium omnium calores omnes enim febres extinguere possunt vitam: cum tamen valdè differant secundum naturam, & proprietates inter se etiam Planetæ, vt è regione pugnent. Etenim re ipsa videmus, quod non extinguitur febris applicãdo tantum refrigerantia; sed opus omninò est tollere, & remouere putrescentia vel quæ sint alias causas; cum summis enim causis morborum semper pugnandum est: quamuis non inficior se se inuicem fouere, nutrire, & augere febrilem calorem, & putredinem: namq. à calore extraneo oritur putredo, & à putredine calor extraneus; vnde vtrumq. opus est expugnare; non exordiri tamen febres omninò censeo nisi præuia putredine, vel alia noxia dispositione; & qui se abstinent à cruditate, ex qua oritur putredo censeo se seruare posse à febrili calore, nisi alia detur causa &c. quæ si sit procatarctica, idest externa, sicut leui de causa accenditur febris, leui etiam de causa extinguitur, vt etiam de se euanescat.

Ptolemæus lib. 4. cap. 9. agens de mortis genere declarat satis diffusè qui, & quales sint morbi prouenientes à singulis Planetis: quamuis re vera enumerat plures qui mixti sunt, & non sunt simplices febres, sed comprehendunt commixtionem, atq. affectiones nobilium partium corporis. Attamen dicit quod Saturnus affert diuturnas febres. Mars verò tertianas, & continuas feruentes. Mercurius morbos in capite &c. deinde volẽs distinguere morbos à violentis casibus dicit. *Miti igitur hoc moriendi genere è vita discedimus cum mortis authores in proprijs, & domesticis naturæ suæ conuenientibus locis reperiuntur à nullo superati, qui maligniorem illustrioremque exitum reddere posset.* Quibus verbis docemur quod Planetę si sint liberi, et in domesticis naturæ suæ locis, mitem morbum efficiunt; mitem inquam ad differentiam violentorum in genere casuũ, Quoniam loquimur de natalibus; hæc omnia intelligenda sunt in loco natalis atque in loco concursus Aphetæ.

CAP.

CAP. XXVIII.

De definitione Crisis iuxta Galeni verba.



VONIAM in febribus de quibus dictum est cótingunt Crises, opus omninò est vt in hoc loco de ipsis Crisibus inquiramus definitionem, & naturales causas; Et licet de his iam in superiori Tomo dixerimus nonnulla; nunc subiungimus alia quædam ad clariorem propositæ rei cognitionem.

Definit Galenus Crisim lib. 1. de Dieb. Decr. *Quod sit turbatio subita, quæ finem habet vel ad salutem, vel ad exitium ægrotantis.* Cum ergo Galenus non dicat Crisim esse vel simpliciter motum localem, vel solummodo alterationis; sed asserat esse turbationẽ; vtiq. sub hoc titulo vult cóprehẽdere tum alterationis motum, tum localem; vnde subdit ex Crisi apparere signa, & excretiones, quæ profectò ex motu locali apparent. Cum verò motus localis intra nostrum corpus fieri non possit sine opere primarum qualitatum; vtiq. sequitur fieri non posse sine motu alterationis; atq. ita sub hoc titulo turbationis Galenus vult intelligere vtrumq. motum, scilicet alterationis, & localem.

Dicit autem esse subitam turbationem siue fieri ex templo: Quoniã enim natura, & humores in corpore decũbẽtis quousq. ægrotat perpetuo agunt, & patiũtur ad inuicem, tãdem natura & qualitates putrescẽtes insurgunt ad summum discrimen statuto ab Astris tempore, in quo scilicet incidit finis periodi motus, & modi influendi eorum, & in quo completur vel coctio ad salutem, vel putredo ad exitium, quæ emergunt ex perpetua illa ad inuicem actione. Hinc iure optimo Galenus initio lib 2. de Dieb. Decr. ait. *Est autem natura in nobis quadam res ordinata. Qua quidem vbi superarit materiam proportionibus quibusdam certis, ordinatisq. periodis suas motionis perficit.* Vbi titulo nostræ naturæ non intelligit materiam primam, de qua iam dixerat inordinatam esse, & Philosophus asserit illicò, & facillimè vel concipere, vel suscipere qualitates contrarias: sed intelligit partes, potentias,

tias, & munera, quæ sunt in nostro corpore quæ profectò mirum inter se ordinem seruant. Sed magis accuratè videamus definitionem à Galeno datam.

Omnis definitio requiritur genus, & differentiam: igitur verbum *turbatio* stat loco generis, quoniam in corpore ægrotantis contingit perpetuus motus & alteratio inter naturam, & qualitates aduersas, quare turbatio quædam; imò non est in regione elementari aliquid, quod non sit obnoxium perpetuo iugiter motui, & alterationi; omnia enim sublunaria excepta libertate hominis subijciuntur causis cœlestibus, vt asserit Philosoph. initio primi meteor. Cum verò causæ cœlestes agant perpetuò semper in hanc elementarem plagam, sequitur proculdubio quod omnia perpetuo iugiter motui, & alterationi sint obnoxia: vnde Philosophus sæpius ait omnia esse semper in perpetuo motu.

Addit verò Galenus verbum *subita*, quo vult intelligere quod sit turbatio notabilis, & manifesta, atq. subitanea respectu durationis morbi. Aliqui tamen Authores intelligunt quod sit omninò subitanea, vnde in morbis chronicis volunt quod propriè non contingant Crises, quoniam hi morbi tardi sunt motus natura sua, & non solent ostendere mutationes subitas: attamen Galenus, & Hippocr. affirmant morbos chronicos solui in contraria temporis qualitate; solutio autem morbi crisis est, & Galenus in 2. de Diebus Decretorijs hæc habet formalia verba. *Porro quanto vlterius morbi processerint, diuturnioresque euaserint, perturbatio, quæ præcipitem immutationem præcedit, tanto magis conquiescit; iudiciaque ipsa tunc paulatim venientia duos aut tres dies in totum occupant.* Et rursus ait Galenus. *Aliquando quidem morbi diuturni fuerunt iudicati die vnico, idq. per excretionem*, Vult ergo Galenus cōtingere Crises etiam in morbis chronicis, sed vel diutius Crisim durare vel, vnico die absolui si appareant excretiones; ita ut Crisis sit turbatio subita respectiuè ad morbi durationem. Quod quidem rationi consentaneum videtur; nam vt verum est quod morbi diuturni tardi sunt motus, & acutissimi sunt velocissimi motus; ita quoq. verum erit quod illi decernantur lento motu, hi verò veloci: crises namque morbi sequuntur naturam &

quoad

quoad qualitates, & quoad partem læsam, vel humorem, & & quoad motum velocem, vel tardum &c.

Quare verba illa *Subita, quæ finem habet vel ad salutem ægrotantis, vel ad exitium* stant loco differentiæ, qua motiones & alterationes criticæ differunt ab alijs, quibus æger continuo afficitur, illæq. sunt notabiles, & manifestæ quæq. vel ad salutem, vel ad exitium deinde conducunt ægrotantem. Etenim alterationes, motus, & symptomata, quæ decumbentibus contingunt extra momenta critica, non sunt decretoria, nec fide digna de exitu morbi; sed tantum signa sunt qualitatis, & naturæ morbi, & partis ab eo affectę.

Sed iam ad rem nostram. Omnes motiones in viuente procedunt à potentijs, potentiæ à duabus illis qualitatibus vitæ calore, & humido, & ab his tanquam à primo fonte post animam, atq. simul à formis partialibus singularum partium iuxta suas vniuscuiusq. potentias, & proprietates; & ab his tanquam à causis instrumentalibus animæ. Cum autem qualitates illæ vitales dependeant à Sole, & Luna, vt sępius diximus; hinc fit quod turbationes criticę excitentur ab his duobus luminibus. Cum enim morbus nihil aliud sit, nisi impedimentum potentiarum; hęc lumina statis momentis de quibus iam dictum est, promouent has potentias ad suum actum, & non nisi periodis suorum motuum, in quibus nimirum incumbunt ad coctionem, & nutritionem, quę à Medicis exquiri, & exoptari solent, & in quibus maximè consistit eorum munus. Quare si per cursum suarum periodorum hęc lumina coctione superauerint qualitates putridas impedientes membra, & potẽtias, bona Crisis ad salutem expectanda est, & apparebunt signa die indicatiua: Si verò è contra non valuerint coctione superare: succumbet natura ad exitium. ita Galenus in 2. de Dieb. Decret. loco citato, cui subiungit. *At quæ aliquando præter naturam eueniunt ordinemq; confundunt, tunc ipsi obueniunt, quum non planè materiam vicerit, sed impeditur ab ea prohibeturque moueri proportionibus suis &c.*

Cum verò morbi chronici sequantur motum particularem Solis, acuti verò motum Lunæ; & acutissimi motum vtriusq. vniuersalem: & vniuersalis sit omnium velocissimus, motus

Lunæ

Lunæ particularis velox; Solis autem motus tardus: hinc fit Crisces in morbis acutissimis subitas esse nimis; in acutis minus subitas in chronicis tardiores, videlicet iuxta motum suæ causæ efficientis: Quæ congruunt cum his quæ diximus in Cœlesti Philosophia nimirum effectuum passiones sequi passiones, & proprietates suarum causarum.

Ex his hautem constat quod definitio Crisis à Galeno allata optima sit, & benè congruat cum nostris principijs astronomicis.

CAP. XXIX.

De causis naturalibus Crisis.



QVoniam Crisis, vt dictum est in definitione ex Galeno allata est turbatio, proculdubio est effectus quidam; quilibet autem effectus habet suas causas physicas: At verò scire est rem per causam cognoscere: Quare si plenam de Crisi scientiam assequi volumus, operæ prætium est inuestigare quæ sint eius causæ naturales, Et de causa quidem eius efficiente iam in superiori Tomo nonnulla diximus: in præsentiarum non pigeat inquirere omnes eius causas, quo magis tum eius natura, tum ea, quæ circa ipsam Crisim accidunt innotescant: incipimus autem à causa materiali subiectiua.

In omni quolibet effectu naturali vniuersaliter loquendo materia prima est primum rerum omnium subiectum: igitur etiam in Crisibus: ita loqui videtur Galenus initio 2. de Dieb. Decr. verbis illis. *Cæterum si recorderis quantopere prouidentia, & ordine superetur caduca hæc, & inferior natura ab æthereâ illa, & cælesti, vtiq. huius nostræ substantiæ motui, non ordinem, sed illius perturbationem tribueris: nec non quicquid in ea pulchrum ordinatumque est & artificiosum, omne id à superna illa natura omninò emanare putabis: sicut inordinatum omne, & erraticum à nostra proficisci materia &c.* Idem repetit Galenus circa initium 3. libri. *Porrò causas, ait, horum ratione nobis indagantibus duo prima omnium, quæ sunt primordia esse statuenda videntur, inordinatum videlicet, quod ex hac mundi materie proficiscitur, &c.*

Q Verum

Verum profectò materia prima est subiectum remotissimum vltimum, & vniuersale omnium effectuum etiam in corporibus simplicibus, vt iam ex Galeno diximus, qui etiam Elementorum mutationes subitas, vocat Crises: Vniuersa quippe corpora siue simplicia, siue mixta vltimo resoluuntur in materiam primam, attamen mixta animata cum hoc ordine; primò resoluuntur in corpus exanime deinde in simplicia, tantem in materiam primam.

Hinc fit quod subiectum materiale Crisis propiquum sit corpus ægrotantis; in quo etiam magis propriè non semper totum corpus, sed pars infirma, à qua optima ideo ratione Medici solent expetere signa bonæ Crisis. Verum tamen est quod totum corpus tandem est subiectum quod in mala Crisi ducitur ad exitium; in bona ad salutis plenitudinem.

Neq. videtur hæc nostra sententia à physicis rationibus discrepare; quoniam turbatio illa critica, de qua supra diximus in definitione non in alio subiecto contingit, nisi primò in corpore ægrotantis; deinde magis præcisè in parte læsa suo munere. Cum enim morbus nihil aliud sit nisi alicuius potentiæ, vel partis impedimentum procedens ex cruditate, & inconcoctione, quæ in ea parte, & potentia inuenitur: bona quidem crisis censetur esse quæ apparet cum signis coctionis, atq. proportionatis relatiue ad morbum, & partem læsam; ergo immediatum subiectum Crisis erit pars corporis læsa; deinde etiam totum corpus quod vel ad salutis plenitudinem, vel ad exitium tandem ducitur. Tradit doctrinam hanc Galenus ad verbum lib. 3. de Crisibus. Nam si morbus existat exempli gratia in Hepate non præstant fidem ea quæ ex capite apparent signa: vel si morbus resideat in capite, signa ex ventre nihil valent, nisi fortè prima origo morbi resideat in partibus inferioribus; & per consensum alliciatur etiam caput; tunc verò ab omnibus locis & partibus læsis desiderantur signa bonæ Crisis.

Cum verò plerumq. contingat morbi primam originem incognitam latere; atq. omninò sit opus primos morbi fontes tollere; ad hoc de sideribus disciplina mirum in modum iuuare poterit artem medicam, nimirum vt ad summas causas morborũ cognoscendas pertingamus exhibẽdæ gratia medelę, & cognoscendę veræ, & fidelis Crisis. Sed iam ad rem nostram,

Opor

Oportet igitur inquirere ab Astris quæ sint potentiæ, & partes corporis morbo subiectæ; id quod docet Ptolemeus lib. 3. cap. de vitijs & morb. corp. & nos partim in superiori Tomo, partim in hoc exposuimus, quibus cognitis, respiciendũ est tempore Crisis ad ea loca, & sidera, quæ subiectam morbo partẽ, & potentiam gubernant: nam iuxta dispositionem horũ locorum apparebũt signa critica, & cognoscemus ea pertinere vel nõ pertinere ad morbum, & partem corporis occupatam.

In hoc autem loco sciendum est, quod non tantum respicere oportet ad prædicta Cœli loca momenti Crisis, nimirum iuxta motum siderum quotidianum vniuersalem; sed potissimè ad loca natalis, vnde morbus tanquam à causa principali procedit; nam Decubitus est causa particularis præsentanea, & licet possit sufficere ad cognitionem morbi; aliquando tamen inde non possumus plenè cognoscere Crisis naturam, sed tutius cognoscemus à locis natalis; id quod insinuat Galenus in 3. de Dieb. Decret. cap. 6. vbi inuestigat dies salutares, vel infestos tam in ægris, quam in benè valentibus, videlicet relatiuè ad loca natalis; & nos iam diximus in primo Tomo.

Satis igitur constat quod nam sit subiectum materiale Crisis, & vnde ortum habeat ab Astris, quo locum, & naturam Crisis plenè cognoscere valeamus ad commodum artis medicæ.

Formalis autem causa in cunctis effectibus naturæ nulla alia est, nisi ipsemet effectus, qui non distinguitur à forma iuxta Philosophorum placita: Cumque Crisis sit turbatio subita vel ad salutem vel ad exitium ducens, vt iam ex Galeno diximus, quæ turbatio concernit motum alterationis, & localem; motus quidem localis nihil noui ponit in mobile, nisi differentiam loci, vel etiam separationem, & applicationem agentis & patientis, quæ sunt tantummodo conditiones: Remanet quod effectus formalis Crisis sit alteratio; motus autem localis, qui fit consequitur ex alteratione. Rursus alteratio est motus ad qualitatem; igitur effectus formalis Crisis erit qualitas, & gradus eius.

Hoc autẽ nõ discrepat ab ijs quę iam dicta sũt: etenim partes & potẽtiæ languẽtes, & impeditæ ad exercenda sua munera, vtiq; tales factæ sunt per alterationem ab aliena qualitate exhibitam; omne enim quod corrumpitur ab extraneo calore cor-

ripitur; sicut sæpius diximus cum Aristot. ita quod nihil aliud desideretur ad bonam Crisim, nisi restitutio partium & potẽtiarum ad proprias, & connaturales qualitates, quæ per coctionem potissimè fieri solet: Qua perfecta coctione statim sequitur turbatio, & localis motus, nimirum excretio.

Ex quibus omnibus consequens est quod causa siue effectus formalis Crisis sit propria, & connaturalis qualitas impeditarum partium.

Quoniam autem organorum impedimenta pluribus modis, & differentijs contingunt; ad hanc rem opus est consulere Galenum de differẽtijs morborum, & symptomatum semper enim Crises sequuntur naturam morbi, qua cognita, sumentes inter sidera connaturalem, & propriam causam, facile cognoscemus Crises, & symptomatum qualitates, & exitum.

Vbi notandum ex Ptolemæo id quod nos sæpius monuimus, & notat Galenus ibid. Vitium differre à morbo: nam verè morbus est affectio partium procedens à qualitate putrescente, quæ impedit organorum operationes, & inducit symptomata, vt dolores, animi deliquia, & alia plura. Item in morbo contingit ferè perpetuus alterationis motus; fiũtque symptomata vel perpetua, vel redeuntia. Vitium autem cum sit imperfectio quædam, ab eo nullus dolor, nullusq. alterationis motus procedit; cum tamen possit impeditam, & vitiatam reddere operationem organi, qualiter sunt orbitates, claudicationes, luxationes &c.

Igitur in verè morbis cõtingunt Crises suis iuxta morbi naturam temporibus; quoniam in perpetuo alterationis motu iacet morbus; at verò vitia cum non admittant alterationem, nullam ostendunt Crisim, nullas symptomata. Et hinc est quod vitia curari nullatenus possunt.

Vnde sequitur, quod si quæ vitia ad motum alterationis renocari possint, vtiq. curationem admittere poterunt; quod notatu dignum est; quapropter in morbis illis contumacibus, qui ferè in vitiorum naturam euaserunt opus est prius leuare, & mouere deinde tollere. Ad rem nostram.

Effectus formalis Crisis quoniam est restitutio potentię, & organi ad proprias, et cõnaturales qualitates vt diximus, pẽdet à luminaribus Sole, & Luna prout Ab Astris qualificatis afficiuntur

ciuntur in ipsis momentis criticis suo cuiusq. tempore periodorum iuxta morbi naturam, vt iam dictum est: tales enim lumina Crises excitant, qualiter ab Astris afficiuntur, atq. tum respectiuè ad initium morbi, tum relatiuè ad constitutionem natalis. Ad hanc rem habemus in Ptolemeo lib. 4. cap. finali hæc præcisè verba. *Quibus verò temporibus magis elucescet decreti vis, significatur ab annuorum & mẽstrorũ signorum cum obnoxijs locis configuratione, & secundum ingressus Astrorum & Solis, & Lunæ radiationes ad annua, & menstrua Signa.* Vbi notandum quod Crises sunt decreta siderum validissima quippequæ vel ad salutem, vel ad exitium conducunt. Sequitur Ptolemæus.

Nam si conuenienter se habent cum locis affectis ab initio in genitura accepto, & secundum inambulationes conuenienter illis configurantur, pro re proposita bonum, Si inconuenienter; & præter conditionem opposita quidem, aut quadrangula figura in transitibus malorum authores sunt; aliter verò configurata non ita. En igitur ratio cognoscendi qualitatem Crisis nimirum ex configurationibus luminarium, & authorum morbi erga loca natalis, idest ex transitibus, & ingressibus, de quibus à nobis in Primo Mobile satis dictum est.

Galenus quoque lib. 3 de Dieb. Decr. cap. 6. doctrina, & exemplo hoc idem affirmat, atq. se obseruare vsu & diligentia testatur, cuius verba retulimus in sup. tomo cap. 16.

Tandem si ad vlteriorem Crisis qualitatem & speciem cognoscendam accedere volumus obseruandum est, quod si luminare lustret quartas lumine crescentes Crisis fiet per sudorem, vel aliud signum ad extra, nimirum à centro corporis ad circumferentiam: si verò lustret quartas lumine deficientes apparebit Crisis ad intra per secessum, iuxta ea, quę in superiori tomo diximus.

Item si inferat opẽ Iuppiter signa bonæ Crisis ex digestione dabuntur, vel ex Pulmonibus & Arterijs; Si Venus ex quadam delectatione & gaudio atq. Hepate in quo residet fons concupiscentiæ & delectationis: Si verò officiat Saturnus signa malæ Crisis procedent ex obstructione frigore, ex Liene & atrabile; Si Mars; ex flaua bile vel effusione sanguinis, dyssenteria &c.

&c. Mercurius si accedat in bona Crisi solet restituere sensum, & intelligentiam: in mala aufert sermonem, & omnem sensum, inducit delirium &c. atq. similiter ratiocinando in cunctis casibus, & miscendo in compositis Astris.

De Causa efficiente diximus etiam in primo Tomo, attamē dicamus iterum ad maiorem rei claritatem.

Cuiuscunq. effectus naturalis in sublunari plaga dari duplicem causam efficientem, nimirum propinquam specificam, vel quæ vices eius gerat, atq. remotam vniuersalem cœlestem in dubium reuocare non licet: & quod concurrat semper etiam vniuersalis est communis Philosophorum sententia patet euidentissimis experimentis, testatur Philosophus initio 1. meteor. in 2. de gener. tex. 56. & alibi. Galenus in 3. de Diebus Decr. agit ex professo. Hippocr. quoq. sect. 3. & 4. Aphor. id supponit, vt legenti patet.

Contingit autem quod causa efficiens propinqua cuiuscuq. effectus possit esse intrinseca ipsi subiecto passibili, in quo nouus producitur effectus, atque etiam extrinseca. Quod possit esse etiam intrinseca ratio in contrarium quæ solet obijci, nimirum quod causa efficiens non potest agere in seipsam, itaut causa materialis, & efficiens non possit esse vnum & idem, non arguit; nam hæc propositio sumitur rigorosè immediate, & indenticè, idest sine partium agentis, & patientis distinctione itaut pars quæ est subiectum sit etiam efficiens. Etenim in eodem subiecto passibili, in quo ... actio & passio, semper est distinguere partem subiectiuam, & virtutem agentem, etiam vbi agitur de restitutione ad proprias, & connaturales qualitates: nam actio recipitur quidem in eodem subiecto, in quo inhæret etiam virtus actiua; sed actio dirigitur in contrarias qualitates similiter in ijs quæ mouentur à propria natura virtus motrix mouetur ad motum subiecti per accidens & mediatè.

In casu autem nostro, in quo agitur de restitutione partis languentis ad suam libertatem, idest ad proprias & connaturales qualitates, causa efficiens propinqua sunt qualitates vitales, à quibus nimirum fit coctio cruditatis, & putredinis, atq. expulsio, quæ solent desiderari in bona Crisi.

Cæterum quamuis contingat suscitari Crises extra suos periodo-

riodorum limites alijs de causis externis, quarum meminit Galenus in 3 de Dieb. Decr. hæ non sunt propriè & per se causę Crisis, sed per accidens; sunt enim causę quod Crises prouocentur & promoueantur extra suum tempus; & quod verę causæ per se excitentur ad hunc effectum eliciendum. Vnde postea fit quod plerumq. Crises huiusmodi conuertantur in perniciem decumbentis, & rarò sunt fide dignæ.

Igitur vera causa efficiens propinqua Crisis sunt qualitates vitales, quæ cum perpetuo incumbant ad nutritionem partium viuentis; atq. ipsa nutritio comprehendat plures potentias, vt digestiuam, expulsiuam, retentiuam &c. ijs facultatibus qualitates illę vitales iugiter agēdo tandem in finibus periodorum vniuersalium causarum, idest in locis configurationum suam actionem vel deducunt ad gradum completum, & efficacem; quo insurgunt ad eijciendas, & extinguendas qualitates contrarias ad salutem; vel è contra cum successiuè magis semper succumbant, tandem quando aduenerit statum tempus, in quo ad hoc excitantur opus, prorsus eneruantur ad extinctionem ægrotantis.

Hoc enim certum est, & perspicuum, quod si qualitates illę vitales non excoquant, & extinguant, vel expellant cruditates, & putredines, nullo modo restitui possunt organa potentiarum ad suas proprias, & connaturales qualitates, & libertatem, neq. decumbens ad salutem. Quoniam vel permanebunt organa putrescentibus qualitatibus oppressa in deterius semper languentis itura; fietq. morbus chronicus; vel si morbus sit & perseueret acutus, quamprimum languens extinguetur.


Quoniam autem vniuersales causæ cœlestes singulæ habent suum effectum peculiarem in nostro corpore, itaut singulæ præsint singulis potentijs, & organis; vt Sol producit vitalem calorem, Luna humiditatem radicalem, Saturnus retentiuam, quia frigidus est, frigiditas autem congregat homogenea, & eterrogenea. Iuppiter digestiuam, quia calidus & humidus est. Mars expulsiuam quia immoderatè calidus, calor verò congregat homogenea, & separat eterrogenea. Venus appetitiuam quoniam præest Hepati; in quo concupiscentia residet, habentq. peculiares corporis partes, vt in superiori To-

mo diximus. Qualitates quidem Solis, & Lunæ communes sunt omnibus potentijs, & partibus corporis; ideoq. Luminaria moderando has principes qualitates vitales tam in benè, quam in ægrè valentibus tanquam causæ vniuersales, & principales suscitant, & manutenent nutritionem cum suis omnibus potentijs, in beneualentibus quidem ad conseruandam salutem & vitam; in ægris verò insuper ad restaurandas potentias languentes ideoq. suscitant Crises in finibus periodorum. Cæteri verò Planetæ tanquam causæ partiales moderantur singulas potentias, & partes corporis atque specificant qualitatem Crisis iuxta suam naturam & habitum.

Hinc autem colligitur quod potentia & pars languens incumbēte tempore Crisis sequatur habitum illius Planetę qui præest illi potentiæ & parti: nam si feliciter robuste, & liberè se habeat, atq. cum luminaribus benignè communicans, bona Crisis ad salutem speranda est & liberatio potentię. Sin è contrario, mala, & languentis extinctio; Sic enim respicimus ad partes languentes, & ad qualitates vitales; & ad earum causas; Hoc autem notatum dignum est, verum, & certum.

CAP. XXX.

De momentis indicatiuis & eorum causis.



IN corpore ægrotantis præter id quod omnia sunt semper in motu nutritionis augumentationis &c. perinde ac in benè valentibus; inuenitur præterea alius motus, quo videlicet natura, quæ maximè consistit in qualitatibus vitæ incumbit ad restitutionem organorum ad suas proprias, & connaturales qualitates; quare in eo motu contingit vera pugna, in qua agitur de coquēda, & expellenda qualitate aduersa cruda, & putrida, à qua procedit morbus, & impedimentum potentiarum; vel è contra de propaganda, & augenda putredine ad interitum, & resolutionem mixti.

Et sane quidem iuxta veræ Philosophiæ principia quodlibet agens naturale agendo repatitur, si tamen communicent in materia, atque maneat alterum intra spheram actiuitatis alterius mutuo; cum non sit maior ratio actionis, vel passionis in vno, quam in altero: Et de ijs quæ immediate se tangunt non vide-

videtur difficultas in contrarium: Vbi verò intercedit medium, ipsum medium componitur contrarijs qualitatibus; vnde tunc actio, & passio in vtroq. contingit tardior.

In casu itaq. nostro, in quo agitur de restitutione organi ad suas proprias qualitates, & expulsione inde contrariarũ qualitatum iam agens, & patiens immediatè se tangunt, quia simul sũt: In exordio igitur pugnæ idest initio morbi victoria vtrinque pendebit.

Interim vtrumq. agens repatiẽdo conteritur: quod si pugna contingat semper æqualis ex vtraq. parte, conducetur æger vsq. ad supremum vitæ discrimen vel sine Crisi, quæ in sequẽtem periodum differetur, vel cum prævalida, & laborioſa Crisi, & ingenti turbatione; vbi si æger adiuuetur fomentibus, & omni diligenti curà forte seruabitur, sed cum viribus omninò attritis: alias data quauis in aduersum occasione proculdubiò extinguetur, nisi Deus aliter faxit. Et hinc est, quod Crisis momento nullum sit porrigendum ægro medicamen violentum.

Si verò pugna contingat inæqualis, post primos congressus iuxta medium actionis altera virtus euadit in alteram superior; & poterit in eo momento apparere crisis ad salutem quidem, si materia putrescens satis excocta fuerit, & natura sit robusta, vel contra ad exitium, si nimis prævaleat qualitas putrescens, & natura sit debilis. Cæterum si hoc specimen Crisis sit imperfectum sumitur pro signo indicante qualitatem futuræ Crisis, quæ ad finem periodi differetur.

Rursus notandum quod in tota periodo contingunt tres potissimæ actiones; coctio excretio, & expulsio; & hæ actiones fiunt per ordinem, & per motum successiuum: Videtur igitur quod post coctionem natura ostendat aliqua signa excretionis: sed fortasse cum nondum fuerit adepta sufficientes vires ad expulsionem, ostendunt tantummodo imperfecta signa Crisis, videlicet leui quadam excretione. Dixi quod hæc omnia fiunt modo successiuo, quamuis Crisis extemplo erumpat, vnde dicitur esse turbatio subita: sunt enim prædictæ actiones vel motus alterationis, vel motus localis, qui vterque successiuus est.

Præterea quoniam causa efficiens Crisis, vt diximus, sunt

luminaria Cœli; ipsa agunt per motum localem, & influendi modos, qui successiui sunt; & non perficiunt suas actiones, nisi in fine periodorum: modi autem influendi siderum, vt demonstrauimus in Cœlesti Philosophia etiam ex mente Aristotel. & profitetur Gal. in 3. Dieb. Decr. pendent à Quadrantibus circuituum; vnde fit quod Crises potissimè appareant in finibus eorumdem quadrantum, vbi acquirunt diuersum modum influendi, atq. propterea contrarias qualitates, quarum causa soluuntur morbi, vt asserunt Hipp. & Galen.

Meminisse autem oportet eorum, quæ diximus in superiori Tomo; videlicet quod in singulis modis influendi siderum omnis dimidiatio sequitur naturam totius, quod euidentissimè apparet in diuisione cordæ, sicut notauimus in Cœlesti Philos. lib. 2. cap. 2. cõstat etiam inter radios; nam Quadratus sequitur naturam oppositionis, Quaterniones naturam Quadranti; qui omnes radij secundum suam speciem hostiles sunt: Item sextilis sequitur naturã trigoni; Quintilis naturam Biquintilis, qui secũdum suam speciem amicabiles sunt. Cumq. hi radij singuli in sua specie habeant relationẽ ad inuicem, adeoquod nati sint producere effectum eiusdem naturæ; minores radij, siue dicamus præcedentes vel indicant effectum criticum maioris, & sequentis radij, vel producunt similem effectum, quem produceret ipse radius maior, idest plenam crisim: & hinc fit quod quartus dies in acutissimis decernit, in simpliciter verò acutis indicat qualitatem futuræ crisis in 7. similiter dies 7. atq. etiam xi. vel decernunt in simpliciter acutis; vel in minus acutis indicant qualitatem crisis in 14. futuræ.

Rursus dies 3. in quo Luna ingreditur aliud signum, indicat diem 5. in quo tangit sextilem: dies 5. indicat 9. vbi Luna peruenit ad trinum &c. Adeoquod in omnibus, & singulis dimidium totius periodi, seu radij semper fit indicatiuum termini, seu finis ipsius periodi, vel radij. Sed iam videamus quæ sint momẽta indicatiua in singulis periodis circuituum luminarium incipientes ab acutissimis morbis.

Dictum à nobis est quod morbi acutissimi sequuntur motum Solis & Lunæ circa mundum, quem motum ipsi absoluunt spatio 24. horar. Et quamuis Hippocrates, & Galenus dixerint quod morbi acutissimi decernuntur in 4. die, hunc terminum posue-

posuerunt tāquam maiorem & vltimū, qui dari possit in acutissimis morbis; contingit enim quod decernantur etiam in minori tempore iuxta vehementiam morbi, vt asserūnt prædicti authores,

Cæterū quod morbi acutissimi decernantur ex motu vniuersali luminarium non vacat à ratione naturali: nam huiusmodi morbi cum sint velocissimi motus vt affirmat Galenus in 3. de Dieb. Decr. consentaneum est rationi quod habeant causam efficientem, quę velocissimo motu agat; motus autem siderum vniuersalis omnium est velocissimus. Quare crises in his morbis fiūt spatio 6. horarum inæqualium, idest in locis quadratis cosmicis, vel etiam 12. horarū vel 18. vel vnius integræ diei vel reliquorum dierū vsq; ad 4. Vnde sequitur quod momenta indicatiua erunt vnius horum ad alterum, atq; possunt etiam esse spatia intermedia, vt trium horarum, deinde 9. Secundus quoque dies indicatiuus quarti.

Quod si morbus sit simpliciter acutus; attamen grauis, fiet indicatio in 4. & crisis in 7. si minus grauis, apparebit indicatio in 7. vel 11. & crisis in 14. Quod si morbus acutus non habeat multum caloris, ideoq. non sit adeo velox differetur crisis ad 20. vel 27. & indicationes apparebunt in 17. vel 24. die.

In morbis chronicis par omninò ratio et methodus, quæ desumitur ex motu Solis; in quo dies 45. erit vel decretoria, vel indicatiua crisis, quæ futura erit in fine tertij mensis: ita similiter dies 90. poterit indicare crisim futuram in contraria temporis qualitate, quæ fiet post 6. menses, & poterit etiam esse indicatiua dies 135. idest post 4. menses cum dimidio, videlicet per quaterniores. Sed si morbus superet integrum annū, poterit durare duos, vel tres &c. & tunc ægrè apparent indicationes, & crises.

Omnes autem morbi cuiuscunque sint durationis, quando ingrauescunt ad exitium ostendunt crises etiam per hebdomadas mensis, & in fine etiam per horas diei, adeout non difficile sit prenoscere diem & horam extinctionis ægrotantis, vt iam diximus in superiori tomo etiam cum Galeni verbis.

CAP. XXXI.

De signis, & causis veræ crisis, & bonæ vel malæ.



QVoniam crisis est turbatio quædam, vt iam diximus, & in ipso ægro, teste Galenus in 3. de Dieb. Decr. cap. 6. contingunt non raro turbationes, quæ fortasse poterunt censeri criticæ; non omnes tamen censendæ sint ad crisim pertinere; & si quę pertinent, non omnes bonæ, neque omnes malę crises inde sequuntur: Ideo cum iam à nobis actum sit de causis crisis, iure optimo in pręsentiarum subiungimus notificare signa crisis fide dignæ, tum etiam causas, vnde prænoscere valeamus quæ ad salutem, & quæ ad exitium ductura sit.

Ad hanc igitur rem necesse est quod prudens medicus primo cognoscat qualitatem, & naturam morbi, quam à pulsu, à symptomatibus, ab accessionibus, ab excrementis, ab ætate & temperamento languentis, ab annui temporis natura; tandem à constitutione cęlesti momenti Decubitus & Natalis accipiet; Ex quibus omnibus medicus cognoscet an morbus sit velocis an tardi motus, an medij, videlicet an acutissimus, an chronicus, an simpliciter acutus: Vnde notum ei fiet quem luminarium circuitum sequatur morbus, iuxta ea, quæ iam dicta sunt.

Tum cognita natura morbi, & quem circulum luminarium sequatur, opus est attentè respicere ad eas motiones, quas morbus ostendit singulis diebus in morbis simpliciter acutis; singulis horis in acutissimis, & singulis mensibus in chronicis.

Deinde circa has motiones respiciendum ad earum qualitates, tempus, & indicationes si quæ præcesserint cógruo tempore, iuxta vniuersa, quæ docet Galenus lib. 3. de crisibus, vbi tradit signa crisis fide dignæ, quæ sunt ait ipse, præcedens indicatio die congruo, coctiones, & excretio iuxta naturam & situm morbi.

Quare si in erūpēte motione critica appareat coctio atq. excretio secundum naturam & situm morbi, sicut notum est artis medicæ peritis, & insuper præcesserit indicatio die congruo,

de quo iam diximus, crisis fide digna censenda est.

At verò quoniam momentum crisis habet semper relationem ad momentum indicatiuum iuxta motum luminarium in suis periodis, quæ nihil aliud sunt, nisi proportionales distantiæ, siue radij, vt diximus in Cœlesti Philosophia; vtiq. sequitur quod si præcessit indicatio die congruo, crisis proculdubio apparebit in fine periodi, seu radij luminarium, in quo compleetur actio, & erumpit excretio, & expulsio.

Ne autem in hoc decipiamur, & vt apparenti crisi plenam fidem tribuamus, respiciendum est ad loca luminaria illius momenti criticæ turbationis; nam si appareat quod luminare illud, à quo pendet crisis, inueniatur attigisse aliquem radiũ ad suum locum initij morbi, ex quo argumentamur completam esse coctionem; atque apparuerit indicatio dum idem luminare fuisset in loco indicatiuo iuxta prædicta; vtiq. crisis erit fide digna, atq. tuta.

Cæterum signa à Galeno tradita in loco citato sunt signa veræ, & bonæ crisis ad salutem directæ. Remanet vt videamus causas cœlestes infidę crisis; atq. etiam cur modò apparent bonæ, modo malæ.

Bona crisis ad salutem speranda est ex leuitate morbi, mala verò ex grauitate timenda sicut qualitas motionis criticæ ex qualitate morbi erumpere solet. Quapropter si cognoscamus à signis in ægro apparentibus, atq. ex constitutione Decubitus, & Natalis quod morbus leuis est; & indicatio visa sit bona, speranda erit crisis ad salutem, tum potissimè si luminaria, quæ crisim promouẽt in eo momẽto critico ponantur amicabili familiaritate iuncta cum beneficis natalis ægrotantis, id quod valde refert; quod si etiam per motum quotidianum ad mundo vniuersalem, eo magis crisis dirigetur ad salutem. Opus igitur est attentè respicere in Ephemeridibus ad loca Planetarum in singulis motionibus morbi.

Quod si morbus censeatur grauis ob mala signa in ægroto apparentia, atq. ex infelici constitutione Decubitus, & natalis ob grauem Directionem moderatoris vitæ; & indicationes non apparuerint bonæ, sed graues; grauis proculdubio fiet Crisis, & eo magis si in momento critico luminare crisim mouens ponatur in familiaritate hostili infortunarum, vel infor-

tunæ

tunæ in locis luminarium & Horoscopi natalis ægrotantis, & motu vniuersali lædatur à maleficis. Hæc enim omnia horrenda sunt ad exitium; & neq. fides præstanda erit ipsi Crisi ad bonum, quamuis appareat leuis & cum aliquibus bonis signis; id quod raro, vel nunquam eueniet.

CAP. XXXII.

Ratio Astrologica pranoscendi salutares, vel infestos dies tam in ægris quam in bene valentibus.

NE mireris lector quod in hoc 2. Tomo resumam à primò aliquot capitum titulos, quos operæ pretium hic visum est recensere gratia rerum vberioris explicationis.

Dies illi i quibus Luna ponitur vel super loca maleficorum natalis hominis, vel in eorum radijs hostilibus, solent aliquod accidens aduersum suscitare iuxta naturā ipsius malefici, maximè verò circa valetudinem, & magis in ægrotātibus. Et è contra idem euenit quando malefici ponūtur super loca moderatorum natalis, vel super loca Directionis eorum, & hęc in omni rerū genere iuxta moderatorum significationem.

Quapropter benè valentes debent ab omni occasione discriminis, & ab incontinentijs tum secundum qualitatem, tum etiam quantitatem se abstinere, maximè in nouilunijs, & plenilunijs illis, quæ fiunt manentibus luminaribus vt dictum est vel è cōtra maleficis: Etenim quamuis nō in omnibus his luminarium, & maleficorum familiaritatibus eueniant mala; omnia tamen mala ab his familiaritatibus oriuntur, quando scilicet moderatores natalis per Directionis motum ad maleficos iam peruenerint; vt ideo potissimum anno illo natus cauere se debet in præfatis constitutionibus: de quibus late differit Ptol. cap. vlt. lib. 4.

In decumbentibus verò exploratum est quod illis diebus, in quibus contingunt prædictæ constitutiones, apparent symptomata, turbationes, animi deliquia, dolores, motus ventris, excretiones, syncopes, atque alia diuersi generis accidentia iuxta maleficorum naturam, tandemque mors. E contra verò diebus illis in quibus transeunt vel lumina super beneficos, vel

beneficí super moderatores, vel mutuo benigno radio se se respiciunt, melius se habent ægrotantes, & solent à morbo penitus leuari.

Hinc autem est quod si contingant hæ constitutiones in crisibus, fiunt vel exitiales, vel salubres &c.

Hinc demũ fit quod ægrotantibus nonnunquam contingunt turbationes & vel graues, vel bonæ; quibus tamen non est præstanda fides perinde ac sint criticæ: quippe nisi tunc luminaria peruenerit ad loca critica, quę diximus esse radios ad sua loca in Decubitu; quæcunque accidentia, turbationesq. tunc appareant, scias non esse sumendas quasi pertineant ad crises, neq. censendas esse crises fide dignas.

CAP. XXXIII.

De Annis Climactericis.



IAm alibi diximus, & probauimus, quod anni climactrici pendent à motu Lunæ in diebus post Natalem: Cum enim primus dies influat in primum annum, secundus in secumdum &c. Atq. Luna perueniat ad radium proprij quadrati die 7. & ad trigonum die 9. &c. hinc fit quod septimus annus, & nonus fiunt climacterici, eodem modo, quo fiunt dies critici in decumbentibus; eadem quippe ratio idemq. fundamentum est annorum climactericorum, & dierum criticorum; & apparent respondere, & assentiri miro modo veritati rei etiam ad minuta tempora, vt est videre in exemplis.

Quibus sic stantibus manifestum est quod anni climacterici variant aliquando mumerum septenarium, & nouenarium eodem modo, quo dies critici, causa scilicet varietatis motus Lunæ, qui modo velocior, modo tardior est; sed re vera cum paruo discrimine, ita quod vel præcedant vel sequantur cum vnius tantum anni de climactericis, & diei de criticis differentia.

Rursus fit manifestum quod anni climacterici aliquando apparent discriminosi, aliquando verò salutares, eodem modo, quo dies critici: & ad hanc rem Galenus in primo de Diebus Decr. refert ex Hippocrate hęc formalia verba. *Ab alijs quidem septem mensibus, alios septem annis finiri;*

alios

alios verò in binis annorum hebdomadis, vel in ternis. Quare si morbi secundum hos Auctores iudicantur vel ad salutem, vel ad exitium in annorum hebdomadis, & etiam vel binis, vel ternis; idem hoc est proculdubio, quod & vos profitemur: itaut ex hoc textu eadem appareat ratio de annis climactericis, sicut de diebus criticis.

In loco igitur climacterico si Luna inueniat beneficos, vel eorum radios, in anno illo potius censendum est debere contingere accidentia profutura saluti, & prosperitati, quam obfutura. E contra si ibidem offendat maleficos, vel eorum radios hostiles grauem proculdubio rebus, & valetudini futurum esse annum illum suspicari possumus. Quod si neq. malos inibi reperiat, potius in differentiam afferet non sine aliqua notabili turbatione.

Tandem in anno climacterico obseruandum est quomodo se habeant ad Lunam per ingressum ex motu quotidiano tum benefici, tum malefici, maximè verò in nouilunijs, & plenilunijs illis in quibus luminaria ponuntur in radio hostili ad illum Lunæ locum climactericum: nam malefici nati sunt obesse, benefici verò prodesse iuxta ea quæ docet Galenus ad hanc rem in 3. de Dieb. Dec. cap. 6. & Ptol. lib. 4. cap. vlt.

Interim cauendum quod in momentis climactericis nullum medicamen violētum exhiberi debet alicui, siue benè, siue ægrè valeat, sed tantum fouentia, & adiuuantia naturam, eodem prorsus modo, quem alibi diximus seruandum esse in criticis momentis, vbi de temporum electione &c.

CAP. XXXIV.

De Hectica febre.



QVoniam ad omnes quoscunq. effectus ab Astris petendos, cognoscendæ sunt qualitates propriæ, & natura eorumdem effectuum. Notandum est primò, quod Hectica febris non insidet, nec originem habet in humoribus, sed in solidis corporis partibus: ita Galenus de inequali intemperie, atq. de diff. febr. lib. 1. cap. 7.

2 Notandum quod Hectica febris non erumpit ex causa efficiente propinqua, sed ex solo corporis habitu. Galenus de meth. med. lib. 8.

3 Habi-

3 Habitum hunc corporis ad siccum, & calidum temperamentum ductum esse; vt habemus in pluribus locis Galeni.

4 Hectica exquisita nec principium, nec augmentum, nec statum, nec declinationem particularis accessionis ostendit: sed tantummodo post assumptum cibum efferuescit, Galenus de marasmo.

5 Hectica febris non affert dolores: Galenus de inæquali intemp. ideoque Hectica non est propriè morbus, qui oriatur ex putredine; sed est vitium quoddam.

6 Hectica febris rarissimè ab initio oritur Gal. de præcog. ex pulsu lib. 3.

7 *Quicunque autem sunt natura sicciore*, ait Galenus lib. 1. cap. 9. de diff. febr. *ac præsertim si temperiem etiam calidiorem sortiantur, vitamque elegerint in laboribus, vigilijs, curis, tenuique victus ratione, hos statim ab initio solet Hectica febris inuadere ex ira, vel tristitia, ac magis æstate, statuq. temporis calido, & sicco, ac loco præterea consimili.*

Quibus ex Galeno prænotatis, si ad astronomicas causas conuertamur inquirendas, manifestum est, hanc hecticam affectionem petendam esse à quartis calidis, & siccis tum Zodiaci, tum mundi, tum Lunæ erga Solem, atq. à signis fixis, tandem à Marte in habitu orientali. Stantibus igitur luminaribus in huiusmodi quartis calidis, & siccis, & signis fixis momēto natalis, si Mars in habitu orientali ponatur in Horoscopo, atq. lædat luminaria cōcipiet natus habitum corporis ad hecticam febrim aliquando suscipiendam.

Etenim Mars in huiusmodi erga Horizontem, & luminaria habitu efficit laboriosos, anxiosos, vigiles, iracundos, deditos vino, quod calefacit, & exsiccat, temperamentum ipsum immodicè calidum, & siccum, prædominante calore. Signa fixa respiciunt partes corporis solidas, vt supra diximus, & sine varietate alterationis, sed cum omni prorsus constantia, & immobilitate iuxta naturam huius febris.

Non affert dolores Hectica, quoniam vt diximus est magis vitium, quam morbus, scilicet non ex putrida causa, sed ex vitiosis, & affluentibus calore, & siccitate corporis partibus; id quod ostenditur à Marte in habitu orientali; quamuis contingat

tingat aliquando Hecticam febrim iungi cum putrida, vt sępius docet Gal.

Cum igitur vitæ moderator peruenerit ad radios Martis, vel suscitabit Hecticam, vel putridam, & feruentem febrim, quæ tandem in Hecticam conuertetur. Tunc verò si benefici alieni sint à luminaribus, & Horoscopo, atq. à loco Directionis, omnis spes aberit salutis: Quod si benefici eleuentur super Martem, maximè Venus, & ipsa succurrat luminaribus; atq. in loco Directionis altera saltem beneficarum conueniat, seruabitur æger, sin alias, succumbet.

Vides igitur lector quod omnis proprietas effectuum, quos in causis cœlestibus sciscitamur, requirenda sit in ipsis causis: omnis enim proprietas, vel passio effectuum, similes semper sunt proprietatibus, & passionibus causarum, iuxta ea, quæ à nobis tradita sunt in Cœlesti Philosophia. Et hæc est vera ratio, & methodus in omni morborum genere inuestigando.

Hinc verò colligimus quanta sit Astrologiæ vtilitas ad commodum artis medicæ, & in vniuersum nostræ salutis. Etenim quicunque intellexerit ex constitutione genethliaca, quod in ea appareant siderum habitus, quos exposuimus; nouerit se abstinere debere à calidificis, & exsiccantibus alimentis alijsq. à Galeno iam allatis; imò vti debere humidis, & refrigerantibus &c.

CAP. XXXV.

De Marasmo, siue Tabe.



Marasmus siue Tabes à Galeno definitur esse viuentis corporis interitus præ siccitate: pro cuius plena cognitione.

Notandum primo, Quod cuiuscunq. viuentis vita pendet à duabus qualitatibus, quæ sunt calor, & humiditas ob hanc eamdem causam dictæ vitales, de quibus à nobis satis diffusè actū est in superiori tomo, & demōstratum ratione, atq. Aristotelis, & Galeni auctoritate quod non sunt Elementa, neq. ab Elementis producuntur aut sumuntur; sed introducuntur in hanc elementarem plagam à Sole & Luna, quibus fœcundam eam efficiunt ad generationem omnium mixtorum maximè viuentium. Marasmus igitur est absumptio humiditatis vitalis.

2 No-

2 Notandum Quod Marasmus vel contingit naturaliter, vel violenter: naturaliter accidit senibus ex continenti, tandemque totali absumptione humiditatis vitalis: violenter verò accidit omni ætati pluribus de causis, quas exponit Gal.

3 Quod Tabes cum qualitate siccitatis triplicem habet differentiam, vt profitetur Galenus, idest vel cum frigiditate, quę propria est senibus, & cõtingere potest per venenum; vel cũ calore, quæ torrida vocatur à Gal. vel tertio cũ animi deliquio.

4 Notãd. quod Marasmus inheret partibus solidis, sicut dictũ est de hectica, & ob hãc causã hectica de facili cõuertitur in marasmũ: tum demũ & eo magis, quia sunt affectiones symbolicę, quę conueniunt in siccitate, & aliquando etiam in caliditate.

5 Sciẽdũ quod Marasmus, sicut etiã diximus de Hectica, nõ est propriè morbus ex putredine oriũdus, sed vitiũ, est enim defectus humidi radicalis: nam calor, & humiditas radicalis non extinguuntur, quia putrescant, sed vel quia putrescunt organa et qualitates comites ad munera vitæ obeunda; vel extinguuntur contrarijs, vt venenis, vel per continentem absumptionem, qua tandem in vltimo senio prorsus deficiunt.

Marasmus igitur est vitium, non propriè morbus, vt sequamur distinctionem quam affert Ptolemæus initio cap. de vitijs, & morbis corporis.

Quibus prænotatis manifestum est quod Marasmi causæ inquirendæ sunt à quartis Zodiaci & mundi exsiccantibus, & maximè ab habitu Lunæ largitricis humidi radicalis, quæ si inueniatur in quartis Zodiacis & mundi siccis, & frigidis, & in vltima sua senectute à Sole ad Solem properans, atque in tali habitu percutiatur à Saturno orientali à Sole, & angulari, maximè collocato in Horoscopo, atq. signo fixo, tabem exsuscitat frigidam similem senio. Si verò Luna deficiat lumine sed in quadrãte post pleniluniũ & vniuersaliter æstiuo atq. percutiatur à Marte oriẽtali, ãgulari, & in signo fixo innẽto, minatur marasmũ torridũ. Ad hęc si accedat Merc. infortunatus à maleficis cũ vtrolibet ex supradictis casibus cõiũgit animi deliquiũ.

Differẽtia autẽ ĩter Hecticã, & Marasmũ est, quod Hectica fit à calore; & siccitate prędominãte sẽper calore itaut siccitas habeat aliquã tẽperationẽ, & nõ sit è directo opposita, & contraria humiditati radicali: nam si cũ intẽperantia euadat talis naturæ Hectica cõuertitur in Marasmũ.

In Marasmo verò prædominatur ſiccitas, ſiue accedat calor, ſiue frigiditas: quæq. ſiccitas adeo hoſtiliter opponitur humiditati radicali, vt ad totalem eius extinctionem incumbat, vt ideo eiuſdem naturæ ſit cum illa, quæ, vt diximus in ſupplemento Ephemeridum tractatu de Elementis capite 2. cogit Elementum Aquę in petram Salis: vnde ratione ſiccitatis, & de conſequenti priuationis humiditatis cœleſtis fæcundæ arcet omnem motum, & alterationem, & generationem mixtorum, atq. propterea etiam nutritionem. Quapropter Hecticæ cauſa & author non poteſt eſſe niſi tantum Mars & quadrantes æſtiui in Zodiaco, in mundo, & Lunæ erga Solem: Maraſmi verò poſſunt eſſe ambo malefici, & omnes quadrantes natura ſicci, calidi quidem Maraſmi cum Marte, frigidi cum Saturno. Maraſmus verò frigidus deterior eſt, & ſuſcitatur à quadrante Autumnali: hinc Hippocr. Aphor. 10. ſec. 3. ait Autumnus tabidis malus. Hæ ſunt veræ conſtitutiones cæleſtes Maraſmi. Cumq. in ſenibus exilis ſit calor vitalis, quippe qui ſucceſſiuè magis ſemper in eis minuitur: Directiones Hylech ad familiaritates Saturni longe deteriores ſunt in ſenibus, quam in iunioribus; in iunioribus verò deteriores ſunt ad familiaritates Martis, vt ſcilicet has infirmitates producere valeant.

Colligitur verò ex dictis quod in his duobus vitijs Hectica, & Maraſmo valde obſint alimenta, quæ ſale ad diuturnam conſeruationem vel ſiccata, vel condita ſunt, maximè verò in Maraſmo.

CAP. XXXVI.

De Pythiſi, Peripneumonia Aſthmate, & Hydrope tympanite.

DE omnibus his morbis in hoc eodem capite agere duximus, quod omnes à Pulmonum affectionibus initium ducant.

Phthiſis igitur eſt morbus extenuãs totũ corpus, cuius origo vlcus in interioribus pulmonum partibus ortum: quod quidem ibi pluribus de cauſis generari poteſt. Vlcus natura ſua calidum eſt, & exſiccans, & generatur ab humiditate putreſcente ſalſa, & mordaci: quapropter vlcus natura ſua eſt ſiccum ſiccitate cęleſti, quæ opponitur humiditati

radi-

radicali, priuat enim partes corporis humiditate fœcunda cæleſti vitali: at verò eſt humidum humiditate elementari putreſcente, quæ humiditatem cæleſtem fęcundam diſſipat, & continuum, idest mixtum diſterminat: & hinc eſt quod omne vlcus expoſtulat primò, & principaliter exſiccari videlicet de humido elementari putrido; deinde coqui à calore vitali. Quapropter Phthiſis eſt verè morbus ex qualitate putreſcente, & Pulmones corrumpente.

Cum verò pulmonibus præſit Iuppiter, vt iam dictum eſt cum Ptolemæo: quotieſcunq. ipſe inuenitur occidentalis, atq. ſuper ipſum eleuatur, vel è regione opponitur alter, vel vterque maleficorum, maximè verò in cardinibus, vel ſi malefici eleuentur etiam ſuper luminaria, & à ſigno Leonis, quod eſt fixum, & præcordijs dominans Phthiſim proculdubio ſuſcitat.

Quoniam verò hic morbus plerumque contingit cauſa fluxionis humorum, cenſeo quod maleficus etiam orientalis, vbi nonnihil humectat poſſit hunc morbum ſuſcitare, dummodo tamen Iuppiter ſit occidentalis. Quod ſi accedat inter eos Mercurius, cuius propriũ eſt craſſiores, & denſiores reddere humores, atq. partibus ſolidis eos conglutinare, maximè cũ Saturno, qui cum frigidus exiſtat, congregat etiam heterrogenea eo deteriorem efficit morbum.

Rurſus ſi Iupp. infeliciter ſe habeat tũ in Zodiaco, tũ in mũdo adauget morbi grauitatem: Interim oportet quod Luna minuatur lumine, in quo habitu ducit morbum à circumferentia ad centrum, idest ad internas partes Pulmonum: nam è contra ſi augeatur lumine, poterit conuertere morbum in aliam ſpeciem.

Peripneumonia eſt inflãmatio Pulmonum, quæ inflãmatio tendit ad externas Pulmonum partes; & fit ſine vlcere: attamẽ hæc quoque eſt verè morbus. Quare procedit ab eadem Iouis conſtitutione, ſed cenſeo quod magis ſigna mobilia quæ cutim reſpiciunt conferant ad hunc morbum, atq. Luna creſcẽs lumine, vbi ducit morbum a centro ad circumferentiam. Etenim nõ concernit tantã putredinẽ, quantã vlcus ipſius Phthiſis; ideoq. nõ longè recedit ab eſſe vitiũ: vt propterea hũc morbũ poſſit ſucitare Iuppiter etiã in habitu oriẽtali, ſi à maleficis

pulſe-

pulsetur, sed non in signis fixis quoniam est morbus leuior, & breuioris temporis, etiam si inducat feruentiorem febrim.

Asthma verò est difficultas respirandi, quæ proculdubio originem potest habere ab omnibus & singulis partibus instrumentalibus respirationis; atq. potest esse tū verè morbus, tum simpliciter vitium, tum denique mixtum quoddam ex vtroq.

Hæc infirmitas ortum habet similiter à Ioue à maleficis læso, non sine cōsensu Mercurij, quoniam tum Iuppiter, tum Mercurius præsunt aeris Elemēto, quòd est materia respiraitonis: atq. in signis aqueis quoniam animalia aquatilia non respirant, & magis propriè humorum fluxiones prouocant, & obstructionem in partibus spiritualibus: vnde suffocationem etiam efficere solent. Quòd si luminaria lædantur posita in signis aereis, vel aqueis eò magis ostendunt hunc morbum.

Cæterum vt fiat potius vitium, quam morbus authores huius infirmitatis opus est esse orientales, atq. luminaria, quæ læduntur circa superiorem cardinem collocari, & in signis Geminorum, Cancri, & Leonis, aut etiam Virginis, quæ instrumentis respirationis præsunt. Quod si authores huius infirmitatis sint occidentales demonstratur esse verus morbus: quoniam, vt diximus, potest esse vterque, vel separatim, vel coniunctim.

Tympanites Hydrops replet totum corpous spiritu, idest crudo quodam aere: ita Galenus de caus. pluf. lib. 4. Cuius rei causa est proculdubio frigiditas Pulmonum. Quemadmodum enim Hepar est instrumentum sanguificationis, idest productionis sanguinis; ita Pulmones sunt instrumentum productionis illius spiritus vitalis, qui ad cor, & per vniuersas arterias diffunditur: ita Galenus de vsu part. lib. 7. Et sicut frigiditas Hepatis causa est defectus perfectionis sanguinis, vt potius generetur cruda acqua vel pituita, ita frigiditas Pulmonum causa est defectus perfectionis spiritus vitalis, vt potius generetur crudus aer.

Ex his autem manifestum est, si Iuppiter, qui Pulmonibus præest, & Arterijs, vt habemus apud Ptol. in cit. cap. ponatur in infelici habitu, & in vltimo quadrante à Sole, atq. Luna communicet ei inuenta in quadrantibus frigidis, atq. super ipsos eleuetur Saturnus, maximè tandem si accedat quoq. Mercurius

curius occidentalis quod Hydropem Tympanitem procudubio producent.

CAP. XXXVII.

De cordis contingentibus passionibus.


Plures, & diuersæ contingere possunt cordi passiones, & affectiones; vt calor febrilis, cuiusque causa alteratio motus ad inæqualitatem, rursus Cardialgia, quæ etiam Cardiaca vocatur, palpitatio, saltus, quies à motu, quam syncopem vocant, motus inæqualis, atq. similia.

Et simplicem quidem alterationem motus, vt saltum, & palpitationem in corde nonnulli censent prouenire à vaporibus, atq. ita à causa externa à corde, quæ sit frigida, hæc opinio non dissentit ab Aristotelis sententia cap. vlt. de respirat. vult enim quod calor, qui cordi intrinsecus est si suffumigetur frigidis vaporibus, tanquã in tuberculis intumescat, & resiliat, motúq. cordis alteret, perinde ac elemẽta ad inuicem contraria ab inuicem resiliunt. Hæc sententia videtur probabilis, quod aliquando à vapore externo oriri possit in corde motus alteratio; attamen quod in ipso corde generari possit affectio ex qua oriatur motus alteratio inficias ire non licet; quoniam iam ab omnibus conceditur quod febris sit calor extraneus in corde accensus: potest igitur cor affici qualitatibus extraneis, à quibus producantur in eo varia symptomata, vsque tandem ad extinctionem. Galenus lib. 3. de præcog. ex pul. asserit cor affici posse varijs, & diuersis temperiei qualitatibus. Quibus sic stantibus.

Cordi præest Sol ex Ptol. lib. 3. cap. 16. qui si inueniatur in Horoscopo, vel radio ad ipsum hostili etiam de sequiquadrato, atq. percutiatur ab altera, vel vtraque maleficarum, maximè in signo Leonis vel hoc signum ponatur in Horoscopo: affectiones in corde declarat iuxta naturam maleficarum. Poterit eumdem morbum præstare etiam Luna angularis in signo Leonis inuenta, & à maleficis læsa. Quod si luminaria in hostili inter se radio ponantur angularia, & interueniat maleficus eumdem morbum declarant à capite, vel à ventriculo per consensum, & communicationem affluentem. Cor Scorpij cum

Luna

Luna & radij maleficorum aliquas affectiones in corde poterunt suscitare, fortasse veneficas.

Cæterum an morbus sit internus cordi ex affectione, & qualitate intrinseca putrida de nouo genita, cuius causa cor efficiat alterationem in motu; an verò ab extrinseca causa à corde, vt vel ascendentium è ventricolo vaporum, vel defluentium à capite humorum, vel à tergo alicuius affectionis Pulmonum, vel hepatis vel lienis, nõ erit admodũ difficile cognoscere ratiocinãdo ex prædictis. Quod non parum vtilitatis arti medicæ prestare poterit ad medicinam exhibendam.

Etenim si Sol inueniatur in vno cardinum Horizontis, vel in culmine vel in 9. domo, vel in 6. in signo Leonis, & percutiatur radio hostili à maleficis; affectio demõstratur intrinseca cordi, & si à Marte affectio erit calida, si verò à Saturno, erit frigida & cruda. Similiter si in ortu inueniatur signum Leonis, & in vno cardinum Horizontis ponatur malefica Soli radijs hostilibus infensa declaratur affectio interna cordi. Poterit nocturno tempore Luna ijsdem modis de Sole dictis demõstrare eamdem affectionem internam cordi.

At verò si maleficorũ alter, vel vterq. possideant angulos Horizontis à quouis alio signo, & radijs infensis lædant Solem, vel in angulis positum, vel im sequiquadrato ad Horoscopum sed non in Leone ostendunt causam esse à corde externam, & Mars à flaua bile, Saturnus ab atra, & liene, si sit Mercurius à vaporibus, si sit Luna ex humorum à capite defluxu vel à ventriculo ascensu. Quod si maleficus Solis infensus eleuetur supra Iouem ex affectione Pulmonum, si super Venerem ex affectione Hepatis si super Saturnum ex affectione lienis, & vel calida à Marte, vel frigida à Saturno.

Ad hæc non parum potest conferre ad frigidas affectiones in corde augendas, si Sol humilis debilisq. viribus inueniatur, atq. in quadrantibus & signis frigidis, & finibus Saturni: E contra ad calidas, si valde robustus, & in quadrantibus, atq. signis calidis, & finibus Martis consistat, maximè circa fixas splendentes naturæ Martis. Quemadmodum ad augendos ascendentes vapores in dignitatibus Mercurij &c.

Tandem an huiusmodi affectiones, & morbi curari possint, cognoscemus, si super morbi authores eleuantur benefici existentes

tentes

tentes robusti; sicut sępius docet Ptolemæus: nam è contra, si malefici validiores proficiscantur, prorsus incurabiles erunt.

Non prætereundum quod huiusmodi constitutiones quicunque substinent in suo natali, vbi febre corripiuntur in cordis passiones, & symptomata proculdubio incidunt.

CAP. XXXVIII.

De Hepatis affectionibus, & morbis, qui inde fluant.



Epati præest Venus, vt iam cum Ptolemæo diximus: Quæ si lædatur à maleficis, posito eorum omnium quolibet in angulis Horizontis, grauem Hepatis affectionem declarat, eoq. magis si etiam luminaria ab ijsdem maleficis inficiantur.

Tunc verò distinguendum est; nam si Mars hoc modo se habeat erga Venerem, significat in Hepate exuperantiam caloris extranei biliosi; si verò Saturnus frigiditatis.

Cæterum, quæ à calore in Hepate à Marte producto procedunt sunt exempli gratia Erysipelata, Scabies rubra vrens, vlcera, tumores, inflammationes, exanthemata rubra, febres tertianæ, ardentes, & continuæ, pleuritides, dysenteriæ, fluxus hepatici, sanguinis effusiones; amplius humorum defluxus à capite ad pectus, & ad alias corporis partes, etiam à se succrescentes, dolores; poterit etiam nasci in ipso Hepate morbus vlcus, vel tumor, vel inflāmatio. Item ab affectione calida Hepatis nascuntur renum, & vasorum vretherum affectiones, atq. ibidem calculi, arenulæ, dolores, & inflammationes, tum etiam vesicæ, & partium genitalium, atque sterilitates, sicut supra diximus. Quod si accedat Mercurius claudit, & obstruit meatus, & genitales partes, adauget, & condensat humores fluentes, vel succrescentes, quos contumaces, & insolubiles reddit, item aspergit felle totum Hepar, & affert icteritiam. In moribus quoque Mars suggerit incontinentiam omnis generis, ebrietates, commessationes luxus &c. in Hepate enim residet concupiscibilis facultas, vt habet Galenus pluribus locis, qui Platonem, & Hippocratem citat.

Quæ verò oriuntur à frigiditate producta à Saturno in Hepate sunt obstructiones, febres quartanæ diuturnæ, tabificæ,

hydropes, causa videlicet defectus sanguificationis propter frigiditatem, item vlcus, & plagæ omninò incurabiles ob atram bilem, lepra, exanthemata nigra, cancri, carnis nigredo, macies, deformitates, renum, & partium genitalium frigiditas, sterilitas, dolores laterum, & colici, renum quoq. obstructiones: quod si Saturnus eleuetur supra Martem producit calculos aliosq. morbos.

Hæc autem omnia, & singula cum diuersitate prout Venus, tum quoq. malefici inueniuntur in habitu orientali, vel occidentali. nam orientales vitia potius inferunt sine putredine, & sine dolore, sed in renibus etiam cum dolore; at occidentales verè morbos ex putredine, & cum doloribus, vel continentibus, vel reciprocis, vt sæpius ex Ptol. diximus.

Rursus pro natura signorum, & domorum, in quibus Venus, & malefici, & horoscopus inueniuntur, de quibus iam pluries dictum est, variant suos effectus tum secundum locum, & partem corporis, tum etiam secundum qualitates: quare videnda sunt etiam ea, quæ diximus in priori tractatu cap. de signis, & vbi de partibus corporis, quæ signis, & domibus subijciuntur.

Item respiciendum est ad Lunam si augeatur, vel minuatur, & an plena sit, an vacua lumine; conducit enim ad effectuum varietatem, atque ad ducendum morbum vel ab externis ad internas partes; vel è contra ab internis ad externas; & aucta, vel plena luce magis læditur à Marte; diminuta verò, vel vacua magis à Saturno.

Tandem si quis velit cognoscere omnes effectus, qui ab Hepatis varijs maleficorum causa affectionibus oriri possunt consulat Artis medicæ peritos; ex ijs enim clarius percipiet Astrorum effectus circa Hepar, & qui inde sequantur alij effectus in alijs partibus contemplando semper sicut diximus, an ex qualitate calida procedant an ex frigida, & ad quam corporis partem dirigantur. Nam Hepar est nobilissima pars, quæ ad vniuersum corpus communicat suas quali-tates; itaquod si malè afficiatur Hepar non sit possibile viuens benè valere: quod si benè afficiatur è contra impossibile fere sit, quod non benè valeat.

CAP.

CAP. XXXIX.

De capitis, ventriculi, & intestinorum affectionibus.

NOmine capitis possumus intelligere vel cerebrum tantum, quod est pars in capite principalis, vel totam partem supra collum, quæ comprehendit omnes sensus, & eorum organa, qui profectò sensus, vt alibi diximus, subijciuntur diuersis Planetis, omnes tamen ad cerebrum, tanquam ad suum centrum, & principium referuntur.

At verò super cerebrum dominatur Sol, vt habet Ptolemæus lib. 3. cap. 16. rursus inter signa, & domus cœlestes Aries, & prima domus præsunt capiti.

Igitur si Sol in Ariete, & in prima domo, vel ei hostiliter configuratus, prauè afficiatur à maleficis corruptas in capite affectiones declarat: maximè verò si etiam Luna, & Mercurius ab ijsdem maleficis lædatur, vel tantum Luna in signo Arietis inuenta.

Contingere etiam potest, quãdo cunque Luna posita in Ariete, maximè de nocte, maleficorum radijs obruitur, si vel ipsa, vel malefici angulos Horizontis occupauerint.

Ad hæc si etiam Mercurius ijsdem maleficis ad luminaria infensis subijciatur, adeo prauas qualitates inferit, vt etiam inducat Epilepsiam, Phrenitidem, Apoplexiam, aliosque grauissimos morbos pro natura malefici, iuxta ea, quæ docet Ptolemæus cap. de vitijs, & morbis animi, & nos iam satis diffusè recensuimus in superiori tractatu.

Rursus accidere potest, si super Lunam, & Mercurium eleuentur malefici, atque cum Sole hostiliter fiat constitutionis eorum communicatio, maximè si Luna, & Mercurius nulla ad inuicem familiaritate iungãtur: tunc decernit in capite prauas qualitates, & potissimè in partibus spiritualibus, & in organis sensuum.

Morbi autem qualitas à malefici natura, & habitu sumenda est: etenim Mars æstum & siccitatem; Saturnus verò frigiditatem & ariditatem efficiunt, vt sæpius diximus.

Possumus quoque magis specificè cognoscere ad quam capitis

partem dirigatur morbus, contemplando ſigna, & planetas: nam in ſignis cruſtatis, quæ ſunt Cancer, & Scorpius malefici inuenti, vel luminaria à maleficis læſa, exiſtentibus quibuſq. eorum in cardinibus Horizontis ſignificant in auribus ſurditatem: ſi accedat venus à maleficis læſa in carne maculas, & deformitates vel priuationem olfactus: ſi Mercurius ſimili modo, in lingua, & ſermone impedimentum, & in ſenſibus internis, & hoc etiam in Piſcibus. Luna verò in moribus, & in ſenſibus externis, atq. gula, vnde anginæ erumpere ſolent, maximè à ſigno Tauri.

Verum dicet aliquis: Ad ſignificandos morbos in capite accepimus ſignum Arietis, quomodo ergo poſſumus nunc ſumere alia ſigna? Reſp. primo quod Horoſcopus ſemper reſpicit caput. Deinde dato quod Luna, vel Sol ponantur in Ariete, maximè eorum, qui conditionis eſt temporis, poterunt malefici ab Horoſcopo, ex alijs ſigni inſenſi eſſe luminaribus, & hoc modo reſpicere magis vnam, quam aliam capitis partem.

Ventriculo autem dominatur Luna, & ſignum Cancri, tum etiam decima domus. Igitur ſi Luna prauè afficiatur à maleficis poſita in huiuſmodi locis, & ſiue illa, ſiue malefici maneant in angulis Horizontis, affectiones ventriculi proculdubio decernunt. Idem vſu venire poteſt, ſi in oriente ponatur ſignū Cancri, atque ibidem conſiſtant malefici, vel è regione opponatur vel ab angulis meridiani, quadrato radio reſpiciant. Item ſi Sol in culmine maneat, & in ſigno Cancri à maleficis læſus, poterit ventriculi morboſas affectiones præſtare; & in omnibus, & in ſingulis caſibus prò natura malefici morbi authoris. Nam Saturnus reddit ventriculum frigidum, paruum, anguſtum, debilem, procreat in eo humores craſſos, contumaces; obſtruit meatus, & minuit membra, & calorem. Mars è contra affert caloris exuperantiam, famem illam, quam lupi, & cætera animalia voracia patiuntur; vnde fluunt incontinentiæ, ebrietates, plenitudines, & ſimilia, quæ perpetuò noxa ſunt: nam à qualitate ventriculi afficitur Hepar.

Inteſtinis præſunt ſigna Virginis, & Libræ, domus ſeptima, & ſexta, atque Mercurius, & Venus. Vnde fit quod vbi Mercurius, vel Venus, Vel vterque prauè à maleficis afficiatur in his ſignis, & domibus, atq. ad luminaria, maximè conditio-

narium transmiserint suas qualitates, tum potissimè si luminaria, vel malefici, vel Mercurius, & Venus infeliciter affecti maneant in his signis, & circa horizontem vel in 6. domo, intestinorum affectiones demonstrant: Quod si author morbi fiat Saturnus, significat frigidos ventres, & si admisceatur Mercurius flatus frigidos, dolores colicos, si verò Mars, efficit corrosiones, fluxus hepaticos dijsenteriam, conuulsiones intestinorum &c.

Qui quidem morbi inuencibiles, & incurabiles redduntur si malefici inueniantur eleuati supra cæteros, & nullus beneficorum opem ferat luminaribus, & Horoscopo. Quod si benefici respiciant extinguuntur tandem morbi. Sed vniuersa, quæ in hoc opere theorice tractamus, exemplis reipsa ad oculum demonstrando illustrabimus.

CAP. XXXX.

De Apoplexia, Phrenitide, lethargo, & animi deliquio.



DE similibus animi morbis iam alibi nonnulla dixi; hic denuò subdere statui alia quædam pauca ad euidentiorem claritatem, quo magis pateat commodũ ad præcauendum, & medelam præstandam. Morbi huiusmodi à capite proculdubio ortum habent, idest ab affectione cerebri cui vt alibi diximus præsunt Luna Mercurius, & Sol, & præ cunctis magis Mercurius, qui si inueniatur in vno Crardinum, maximè in occasu sub maleficorum radio ostili vel cum eis loca permutet, & malefici illi obsint etiam luminaribus, potissimè quod est conditionis temporis, natum Apoplexiæ, & animi deliquio futurum esse obnoxium suspicandum est: è signis verò conducunt Aries, atq. signa humana: Si maleficus officiens sit Saturnus, ex causa, & qualitate frigida, obstructione, humorum defluxu, pituita crassa, & nimis densa, & è succo melancholico manabit egritudo: Si verò fuerit Mars, ex qualitate calida & flaua bile, quod si cum Marte accedat Venus, ex incontinentia omnis generis.

Phrenitis verò in morbis peracutis contingere solet, quando vna cum Marte morbi authore communicat Mercurius maximè

ximè si nulla familiaritate cum Luna iungatur vel comunicet de hostili; & tam in loco occursus moderatoris vitæ, quam in Decubitu & in natali. Quod si hæc fiant in signis mobilibus cum phrenitide eueniet fuga, & furor, potissimè in Ariete.

Lethargus à Saturno ducit originem etiam in morbis acutis, quando videlicet in loco occursus moderatoris vitæ concurrit Mercurius à Saturno læsus, etiansi causa morbi existat Mars: & hæc constitutio apparebit etiam in natali, & Decubitu.

C A P. XXXXI.

De humorum redundantia, siue defluxu.



HVmor affluens, siue defluens, nihil aliud profectò videtur esse, nisi excretio humida, & frigida: omnis autem excretio vel est residuum alimenti, quod vel propter copiam, vel eius nimiam cruditatem excoqui non potest à calore vitali; vel est resolutio partium mixti ex defectu caloris vitalis, qui propter suum decrementum iam non omnes partes mixti conseruare possit excoctas; vnde oriuntur morbi, & resoluuntur partes in excreméta: & hinc est quod senes quamuis temperamentum habeant siccitate affectum magis quã iuuenes, vt est communis Philosophorum sententia, nihilominus tamen abundant humorum defluxu magis, quam iuuenes: hoc autem prouenit quia vitalis calor in iuuentute inualescit, mox consistit, deinde successiuè minuitur iuxta Hippocratis Galeni, & Aristotelis doctrinam à nobis in superiori tomo expositam: cum igitur calor in senibus iugiter minuatur, hinc fit quod in senibus excretio humida magis affluet quã apud iuuenes, in quibus calor solet coquere omnes alimónias, vt fere nihil humidæ excretionis relinquat, atq. conseruare mixtionem, ne corporis partes in fluentem humorem resoluantur.

Rursus humor oriri solet vel liquatione causa caloris extranei, calor enim liquat, & cogit separando scilicet eterrogenea, vel ex condensatione causa frigiditatis; cum enim humor affluens ad aquæ naturam accedat, quæcunque raritate præstant, vt exempli gratia aer, si frigefiat, cogitur, & in fluentem humorem, siue dicamus in aquam transmutatur, vt diximus in tractatu de Elementorum transmut. in Ephemeride: Vnde a frigi-

frigida causa magis Pulmones, qui plurimum aerei sunt, & raritate præditi quam cæteræ partes in humorem resoluuntur. Quare in senibus deficiente calore Pulmones iugiter resoluuntur, & siccantur, vt iam amplius non possint ad respirationem moueri; cui subsequitur mors, vt profitetur Arist. libello de resp. pir. cap. 14. Quamuis etiam calor extraneus Pulmonis partes in humorum defluxum quandoq. resoluat.

Quibus sic stantibus manifestum est quod causæ in Cœlo vel sunt quę rędũdantię, & incõtinentię, humidę & frigidę; vel ipsę maleficæ infensæ ipsis frigidis: Videlicet quandocunque Luna ponitur in Horoscopo, vel in eius radio hostili pulsata simili radio à maleficis, maximè si & Venus, que facilem incontinentiam infundere solet, communicet cum ipsis: tum demum potissimè si Luna, vel omnes ponantur in signis humidis, & circa Pleiades. Poterit etiam collocatio Lunæ cum Saturno in sexta Domo idipsum decernere, vel si eleuetur supra Lunam cadentem ab angulis, vel Horoscopo quaternionibus idest octangulariter configuratam. Luna enim propriè subministrat copiam humidæ materiæ; Saturnus cogit raram, & Mars liquat densam. His omnibus si adijciatur Mercurius multiplicat humorum turbam potissimè circa thoracem fauces, & pectus communicatus Saturno, vt habet Ptl. cap. de morbis & vitijs corporis; imò & ipsos humores reddit contumaces, & insolubiles, cum Marte verò salsos, & mordaces; si accedat Iuppiter infeliciter positus suffocat ad modum Asthmatis, si Venus renes obstruuntur vel Hepar, vel genitales partes; vel afferunt turpes in carne morbos, sicut diximus suis locis. Ex his infertur ad curandos humores etiam Salsos occurrendum esse exsiccandos, & coquendo: quamuis enim salsus humor producat siccitatem, oritur tamen ex redũdante, & putrescente humido alimento; vt habet Philos. in 2. meteor. sum. 1. cap. 3.

CAP

CAP. XXXXII.

De Angina, Pleuritide, & Lienis affectionibus.



Ngina, & Pleuritis ferè non differunt inter se, nisi ratione diuersitatis partium corporis, quibus inhærent; nam quoad qualitates & substantiam conueniunt ferè in idem.

Angina ex Gal. de locis affectis lib. 1. est inflammatio internarũ gutturis partiũ; at verò lib. 4. cũ instituat quinq. genera Anginę, dicit prę ceteris, quod vnũ genus est sine inflammatione atq. aliud, cum externæ partes inflammantur; in omnibus autem, & singulis contingit difficultas respirandi. Quare morbus hic proculdubio à Ioue, signo Tauri, & duodecima Domo oriri videtur, non sine concursu Lunæ, quæ gulæ dominatur, atq. etiam Mercurij, qui Linguę, vt habet Ptol. lib. 3. cap. 16.

Et in vniuersum signum Scorpionis affert inflammationes, Erijsipelata, & apostemata quæcunque: proprium enim est signi Scorpionis à pluribus locis congregare, & ad vnum caput, siue dicamus caudam ducere: vnde in electionibus, ad hanc rem assumi poterit. Igitur si Luna, quæ gulæ dominatur Maneat in Scorpione, vel in Tauro, atq. si concurrat etiam Iuppiter, & Mercurius à maleficis obsessi, vel etiam in duodecima domo, aut in Horoscopo, vel in sexta domo Anginam decernit.

Cum verò Angina includat inflãmationem requiritur maleficium Martis.

Item si signum Tauri, vel Scorpionis ponatur in Horoscopo, atq. ibidem maleficæ, vel eorum radij hostiles, quique Lunæ sint infensi anginam ostendunt.

Et notandum quod in hoc morbo, sicut & in cæteris omnibus, de quibus partim dictum, & partim dicendum, non modo intelligimus constitutiones in natali, sed etiam in loco occursus per motum Directionis, dummodo tamen in natali appareat aliqua dispositio ad hunc morbum generandum sicut in exemplis videbimus.

Pleuritis verò est inflammatio membranæ costas ambientis. Costis verò, & toto thoraci præsunt signa Geminorum & Cancri

cri, & superiores in figura domus, ex planetis Mercurius, & Luna. Quod si in his signis, & domibus inueniantur luminaria à Marte læsa, & admisceatur Mercurius Pleuritidem declarant, & quandocunque etiam Iuppiter à maleficis læsus inueniatur, poterit ad Pleuritidem ducere. Affines enim videntur esse, vt diximus hi duo morbi Angina, & Pleuritis; cum vtraque oriatur ex inflammatione, & in vtraque difficultas adsit respirandi, atque partes læsæ guttur, & membranæ thoracis communicent confinibus: poterit tamen oriri differentia ex habitu Lunæ, nam si Luna minuatur lumine, potius ad anginam inclinabit, si verò augeatur potius ad Pleuritidem: Videtur enim guttur tanquam centrum quoddam se habere, per quod videlicet omnes capitis partes communicant cum inferioribus: at verò costæ se habent vt circumferentia quædam. Tandem signa, & domus distinguere possunt hos morbos.

Lieni præest Saturnus, qui si maneat læsus radijs hostilibus cuiuscunque alterius Planetæ demonstrat affectionem lienis, maximè si Saturnus lustret signa Virginis, Libræ, & Scorpionis, atque domum octauam, septimam, & sextam. Cum ea differentia, quam sæpius attulimus, quod si tum Saturnus, tum ij, qui hostiliter eum respiciunt sint orientales, declarant aliquod vitium, scilicet vel angustiæ partis, vel quantitatis atræ bilis, vel eius effusionem ad alias partes: Quod si dicti Planetæ sint occidentales insinuant morbum, & affectionem putridam, Mars ex inflammatione, Venus ex pituita, & succrescenti humiditate, Iuppiter ex concursu sanguinis, Mercurius ex flatibus, & fele, Luna ex concursu aquæ: atque tali modo poterunt generari in liene varij & diuersi morbi. Opus autem est quod vel Saturnus, vel qui ipsum hostiliter intuetur, ponatur in angulis Horizontis, vel in sexta domo, iuxta supra expositam ex dicta doctrinâ.

CAP. XXXXIII.

De Hydropis omnis specie.



E hac infirmitate tetigimus nonnulla in superiori tractatu in Exemplaribus, fundamento posito in constitutione cœlesti ad momentum decubitus. In præsentiarum verò data figura genethliaca non pigeat de hoc eodem morbo magis distinctè disserere; quo maius commodum, & vtile pateat saluti viuentium; etenim si quis præuideat se obnoxium esse morbo huic alimonijs, & medicamentis præcauendo euadere præstante Deo O. M. poterit.

Galenus de tum. præt. nat. distinguit tres species Hydropis, primam vocat Ascitē, quę est aggregatio aquosa, secundam Tympanitem, quæ flatuosa, tertiam Anasarcam, quæ pituitosa.

Idem Galenus lib. 5. de locis aff. cap. 6. affert diuersas causas Hydropis. *Ergo* ait, *ob refrigerationem iecinoris, in sanguinem mutari cibus non potest, refrigeranturq. cum illo totius corporis venæ. Sæpenumerò etiam, nullo tumore apparente in iecinore, æger aqua inter cutem corripitur, vel ob vitium lienis, vel ieiuni, vel alicuius intestini tenuioris, aut mesenterij aut pulmonis, aut renum, aut ob immodicum hæmorrhoidum, aut mensium profluuium, aut ob suppressionem menstruorum, aut ob alium vteri momentaneum affectum. Ex intempestiua præterea aquæ frigidæ potatione iecur affatim refrigeratum, statim aquam inter cutim inducit.* Manifestum verò est quod inter tot causas Hydropis, potentior est refrigeratio Iecinoris; reliquæ enim causæ aliquando, non semper, efficiunt Hydropem; vel certè non habet effectum, nisi concurrat etiam Iecinoris frigida, & praua affectio. Ad summum Pulmones, & Splen si immodicè frigeant, vel aliquo morbo laborent, fortasse poterunt suscitare aquam inter cutem; quoniam sunt partes nobiliores. Quod si tum Hepar, tum Pulmones, tum denique Splen benè valeant, difficile videtur posse oriri Hydropem: cum enim communicent cum omnibus

nibus corporis partibus, si benè valeant manu tenent bonam valetudinem apud omnes corporis partes.

Quare si Venus, quæ Iecinori, preest, lædatur hostilibus radijs à Saturno, posito vtroque in habitu occidentali, & cum ipsis communicet hostiliter Luna in quadrantibus frigidis inuenta, significat frigidam, & hydropicam affectionem in Hepate. Item si Iuppiter simili modo ponatur, cum præsit Pulmonibus, frigidas qualitaes in ipsis Pulmonibus inferet, & eumdem morbum, sed flatuosum, potissimè verò concurrente cum ipsis Mercurio infeliciter collocato. Tandem si Saturnus inueniatur in vltimo à Sole quadrante, & lædat Lunam positam in quartis frigidis, & humidis, poterit in Liene suscitare aquam inter cutem, & vel acrem, vel salsam, & mordacem, & hanc potissimè si accedat communicatio Mercurij. Atque hæc omnia tunc maximè si aliquis eorum posideat vel angulos Horizontis vel sextam domum, iuxta Ptolemæi doctrinam.

In vniuersum quidem omnis hydropici morbi species procedit ex deffectu sanguificationis, causa frigiditatis, quæ non finit cibum quoqui, & conuerti in sanguinem, vt habet Galenus lib. 2. de natural. facult. *Est enim*, ait ibi, *ea prima generandi Hydropis causa, quæ ex sanguificationis defectu procedit; simili genere, atque ex ciborum coctionis deffectu diarrhœa &c.* Vnde fit quod alimentum potius conuertatur in pituitam, vel in aquam, vel in crudum aerem, siue flatum. Attamen data diuersitate tum causarum, tum effectuum in hoc morbo, opus est, vt accuratè contemplemur, & distinguamus, ad hoc videlicet, vt summas causas congruis medicamentis expugnare liceat. Etenim si frigida qualitas appareat in Venere ijs modis, quos diximus, declaratur huius morbi origo in Hepate, atque ex generatione copiæ pituitæ, vel etiam aquæ: Si verò in Ioue, morbi principium erit in pulmonibus, è quibus iam non egredietur spiritus calidus viuificus ad Cor, & Arterias, sed crudus aer; si tandem affectio pateat in Saturno, apparebit morbus in Liene, & inde effluet multitudo pituitæ vitreæ, vel aquæ salsæ mordacis, vel sanguinis hæmorhoidum. Rursus in mulieribus si Luna in vltimo à Sole quadrante tendens ad occultationem lædatur à Saturno poterit producere suppressiones menstruorum: Si verò circa

plenitudinem sub hostilibus radijs Martis applicet ad oppositum Solis, profluuium. Tandem si Venus, & Luna in quadrantibus frigidis inuentæ,& à Saturno læsæ ponantur in signo Virginis, vel Libræ, poterunt declarare vitium in intestinis, maximè circa spicam, quæ Azimech vocatur.

CAP. XXXXIV.

De vrinæ suppressione.

PLuribus diuersisq. de causis immediatis, idest in nostro corpore contingere solet hic morbus. & primo à calculis conceptis. 2. à multitudine arenulę, vel catarrhi viscidi obstruentis. 3. à nimia angustia vasorum vretherum, atq. eorum aliqua affectione; vnde aliquando inuentum est alterum horum vasorum concretum, & omninò clausum esse. 4. à qualitatibus morbosis putrescentibus, quæ tumores, caries, vlcera, succrescentem carnem, aliaque morborum genera producere solent. 5. ex nimia caliditate Hepatis, quæ calculos, & arenulæ multam copiam producere solet. 6. hæ causæ inhærere possunt in diuersis locis, vt in Hæpate, in renibus, in vasis vretheribus, in vesica, & in fistula scorti. Tandem vt sæpius diximus distinguendum est inter vitium, & morbum: nam morbus à qualitatibus putrescentibus oritur; vitium alio quouis modo. Quibus datis diuersitatibus oportet semper distinguere etiam in causis cœlestibus, ex quorum cognitione ars medica ingens commodum ad præstandam salutem proculdubio haurire poterit in vrinæ suppressione, cuius causa plerumq. latet occulta.

In vniuersum quotiescunq. inueniatur Venus læsa à Marte præsert im in signis Virginis, Libræ, & Scorpionis; vel in domo 8. 7. & 6. quæ signa & domus præsunt renum regioni suppressionem vrinæ significat ex affectione calida; & in Virgine, vel domo 8. magis in Hepate; in Libra vel domo 7. apud renes & vretheres; in Scorpione vel domo 6. circa vesicam, & exitum vrinæ, in quo vltimo casu tum potissimè, si concurrat Saturnus, qui præest vesicæ.


Quod si Mars lædatur à Saturno orientur calculi, vel arenulę cum catarrho viscido obstruente copia; si tamen orientales fuerint; nam si occidentales apparebit morbosa affectio ex

praua

praua putrescente qualitate, & concursu bilis ad eas partes iuxta prædicta signa, & domus. Si Venus à solo Saturno lædatur, existentibus vtroque in habitu orientali erit obstructio ex innata angustia vasorum, vel affectione simpliciter frigida; in habitu occidentali ex morbosa qualitate, & corrupta atra bile.

CAP. XXXXV.

Super caput nonum libri 4. Ptolemæi.



IN exordio huius capitis Ptolemæus ea recenset, quæ supra libro 3. cap. 14. vbi rationes moderandę vitę tradiderat, incipit autem his formalibus verbis.

Cũ reliqua sit ex omnibus de mortis genere contemplatio, primum ex ÿs, quæ de vita spatio docuimus, constare oportet: vtrum secundũ radiorum ductationem interemptio, an secundum dominantis sideris occasum accidet. Nam si iuxta radiorum ductum, & occursationem eueniat interfectio, locũ occursus in consilium adhibere pro mortis genere coniectando oportet. Si verò iuxta occasum, illum ipsum occasus locum.

Titulo radiorum ductationis proculdubio intelligit motum siderum in Zodiaco: idest motum Directionis rectæ, quem c.14. allegato vocat actinoboliam. Cæterum quoniam duplex est Astrorum motus, videlicet vniuersalis ab ortu ad meridiem occasum &c. & particularis sub Primò Mobile ab eius regione occidentali ad orientalem atq. insimul hoc vtroque motu, sicut alibi declarauimus, & ostendimus; hinc fit quod luminaria moderantur rem sibi subiectam his duobus motibus; atque si impingant in beneficas ædificant, augent, & felicem reddunt ipsam rem subiectam: si verò impingant in maleficas; minuunt, destruunt, & afferunt calamitates, & hæc vniuersaliter in cunctis rerum capitibus.

Verum enimuerò si agatur de vita; quoniam omninò necesse est, quòd vitæ moderator appareat nobis in nostro hemisphęrio; vnde Ptolemæus reijcit à locis apheticis omnia loca subterranea, excepto Horoscopo, in quo (ait ipse,) ad nostram lucem emergunt sidera: sequitur proculdubio quod vitæ moderator, si motu Directionis perueniat ad occasum, vbi à

nobis

nobis occultatur, possit abscindere vitam: motu verò Directionis recto non potest à nobis aliquo modo occultari, sequitur ille.

Quales enim fuerint siue ij, qui dicta loca sequuntur, aut si nulli sequantur, qui primi aliorum ad ea feruntur, tales nimirum è vita decessus futuros opinandum est, quorum natiuis significationibus vt varietatem illam euentuum complectamur, configuratorum Astrorum, locorumque interemptoriorum peculiares significationes coniungemus, tam pro signiferi quam finium natura. Præcipit ergo Ptolemæus consulendum esse locum occursus, siue sit malefici, siue occasus, eorum naturam, & habitum, seu dispositionem, atq. tandem fines: Vbi cauendum quod occasus habitus, seu dispositio obseruanda est secundum radios in mundo sumptos, & nullo modo in Zodiaco: fines quoque in Zodiaco accepti obseruandi sunt in Directione actinobolia, idest recta, non in conuersa, in qua nihil valent fines super Zodiacum assumpti; sed fortasse fines cosmici, quos infra inuenies.

Hic enim præterire nullo iure licet, id quod mihi aliquando optima ratio suasit, & res ipsa docuit, nimirum quod finium distributio, & natura valet etiam in circuitu cosmico erga mundum: Etenim si finium distributio in Zodiaco habet pro fundamento irradiationes, vti obseruauimus in Cœlesti Philosophia lib. 2. cap. 12. quoniam certum est radios inueniri etiam in circuitu cosmico in mundo, & æquè vt in Zodiaco efficaces; sequitur proculdubio inueniri etiam in circuitu cosmico fines.

Ordo verò in hac finium distributione censeo, quod nullus alius rationi magis consentaneus dari possit, nisi quod in locis radiorum benigniorum ad singulorum Cardinum cuspides, idest Sextilis, Quintilis, Trigoni, & Biquentilis insideant fines beneficorum; in reliquis locis maleficorum, & Mercurij, seruato ordine, quem diximus inueniri in Zodiaco; vbi meminisse oportet quod dignitas domicilij Solis in mundo est centrum nonæ Domus. Lunæ verò Culminis. Qua ratione seruata poterit quisque pro sua industria describere tabellam finium circa mundum; qui fines ita valent in situ mundi, vt

fines

fines in Zodiaco, videlicet afficiendo luminaria in radice natalis, & in loco occursus per motum Directionis conuersum.

Ptolem. deinde enumerat effectus mites singulorum Planetarũ, qui & plenè innotescunt, & ex dictis à nobis colliguntur.

In hoc capite occurrit difficultas, quod Ptolemæus enumerat inter abscissores Iouem, & Venerem, cum tamẽ de se benefici sint, & ad rescindendam vitam non sint apti. Ad quod respondemus verum esse quod non abscindunt vitam; attamen si vel succedant, vel præcedant ad locum occursus aneretæ siue corpore, siue radijs afferunt effectus illos, quos Ptolemæus enumerat; quapropter nisi abscindant vitam, tamen specificant, & miscent effectus maleficorum, sicut supra diximus. Sequitur ipse.

Miti igitur hoc moriendi genere è vita discedimus, cum mortis authores in proprijs domesticisue natura sua conuenientibus locis reperiuntur à nullo superati, qui maligniorẽ illustrioremque exitum reddere posset. Mortis authores, vel qui vna concurrunt cum ipsis, si maneant sine hostilitate inter se atq. cum alijs, neq. patiantur aliquo modo infelicitatem, mitem decessum significant.

Violenta verò, & conspicua morte decedimus, cum aut vterque maleficus imperat interemptorio loco, aut per congressum, aut per radios quadrangulos, oppositosque, aut alteruter eorum, amboue Solem, aut Lunã, aut vtrumq. luminare maleficio affecerint; vbi mortis quidem malitiam ab eorum congressu constitui putabimus. Ex hoc textu clarè patet quam remotè à rei veritate digrediantur huius artis Professores nonnulli, qui ad significandam mortis violentiam assumunt signa, quæ ab ipsis vocantur violenta, eo quod sint dignitates maleficorum; cum tamen affirmare soleant, quod nemo planetarum destruit suam domum quæ contradictionem innoluunt: rursus accipiunt sidera fixa; item octauam domum simpliciter, si videlicet in ea inueniatur maleficus, vel ei dominetur, atque plura alia nimis prolixa, quæ ad rem non faciunt, neque tradidit Ptolemæus, qui in hoc textu paucis, & simplicibus verbis totam hanc significationem expressit.

Videtur hic textus continere duo capita seorsim distincta, vt

constat

constat per particulam illam *aut*. Primum est quod in loco Directionis anaeretico conueniant ambo malefici vel radijs hostilibus vel corpore. Alterum est quod in natali maleficio afficiant vel alterū, vel vtrumq. luminare; & maximè censeo ego, quod est conditionis temporis, nimirum de die Solem, de nocte Lunam. In primo casu, nisi aliud contingat infelicitatis in natali, & praecaeteris malefici non occupent angulos, neque de consequenti officiant Horoscopo, censeo quod concursus vtriusque malefici in loco interemptorio non sit sufficiens afferre mortem violentam, sed tantum horenda quaedam accidentia, & symptomata, aut certè pericula repertina: supponimus enim quod malefici nullam habeant cum moderatoribus familiaritatem hostilem; in quo casu, repentina quaedam pericula, & sine notabili effectu promouere solent; maximè verò si in natali moderatores feliciter se habeāt; tunc enim omninò concursus quorumcunq, maleficorum vna simul nullum violentum effectum producit, vt exemplis re ipsa semper inueni etiam si Saturnus, & Mars corpore sint iuncti. Haec Ptolemaei doctrina repugnat sententiae eorum, qui censent ex coniunctione Saturni, & Martis nasci perfectam beneficam: quam sententiam falsam esse iam diximus. Quapropter censeo quod supranotata duo capita huius textus intelligenda sint cō iunctim; tunc verò nullum dubium est quod si malefici obsint moderatoribus in natali, deinde per occursum quo plures concurrunt malefici simul, eo grauiorem violentiam ostendunt, potissimè verò si fuerint illi ijdem qui luminaribus obsint in natali, vt insinuat Ptolemaeus verbis illis: *vbi mortis quidem malitiam ab eorum congressu, constitui putabimus.* congressu, idest occursu, & siue corpore, siue radijs hostilibus, & siue parallelis.

Igitur in natali si Horoscopus, & luminaria maximè quod est temporis laedantur à maleficis validis, sine beneficorum ope, violentos casus minantur; quod si accedant fixae splendentes, tunc censeo addere posse ad decretum planetarum. Item si maleficae occupent medium octauae domus, & inde obsideant luminare temporis, sine è contra si luminare temporis ponatur in octaua domo, & ibi laedatur à maleficis sine beneficorum [illegible], violentum est. [illegible] [illegible] nuenian-

tur in cardinibus, eoque magis si lædant luminaria, maximè conditionarium: Quod si Horoscopus sit vitæ moderator deterius est ad violentiam.

Notandum verò, quod actio maleficorum cadere potest super Solem, Lunam Horoscopum, & partem fortunæ; & vel super omnes, vel tantum super aliquos, vel vnum eorum tantum; atque tandem super Hylech. Si cadat super Hylech, vel super luminare temporis non est dubium: si verò famulentur ijs beneficæ, reliquis tantum læsis minus est periculum, veruntamen accident discrimina quædam, sed sine notabili effectu. Si tandem lædantur omnia loca horrendum est, & potissimè in cardinibus, vel in octaua domo, vel in locis ad Cardines sesquiquadratis.

Magnitudinem verò à luminum testificatione titulo magnitudinis Ptolemæus intelligit publicos, & manifestos apparatus in ostentum: quoniam proprium est luminarium ratione ingentis luminis, & dominij temporum, effectus publicos, & in vulgum manifestos reddere & hoc in genere: ad rem nostram verò quando hostilibus radijs concurrunt ad moderatores in natali, atque tunc potissimè si etiam in loco peremptorio.

Genus verò rursus ab astrorum reliquorum intuitu, & signis quæ à maleficis occupantur. Generis nomine intelligit qualitatem, sicut patet ex ijs quæ subdit: quæ cum de se clarà & perspicua sint in textu, vide ibi lector.

Et nota quod Planetarum configurationes, & signa intelligit & accipit in natali, non in loco occursus per motum Directionis; ex quo magis patet quod ea, quæ supra dixerat, *si ambo malefici concurrant &c.* non intelligit simpliciter atque tantummodo in loco occursus; sed quod in radice natalis malefici moderatoribus inueniantur infensi: tunc verò si plures malefici concurrant in loco peremptorio ingentes violentos effectus producunt: quod verissimum est. Et hoc est quod vult Ptolemæus lib. 4. cap. vltimo verbis illis. *Sed bone ne sint an malo ex eorum qui temporibus præsunt naturali, & mista propensione ad bene maleue faciendum colligitur, & eorum familiaritate, aut inimicitia, quam ab initio susceperunt.* idest à natali. Et paulo infra. *Multo verò*

to verò magis eum non solum temporis quod gubernant nomine causarum generi præsunt verum etiam ab initio secundum genituram. atque in pluribus alijs locis hoc idem docet Prol.

Ratio quare Ptolemæus asserat accidentia violenta produci per concursum vtriusq. malefici, videtur hæc esse. Violentum quodlibet est excessus quidam, siue dicamus superabundantia, quæ à superabundanti qualitate oriri solet: vt ignis est effectus, atq. etiam efficiens violentus, absumit enim, & deuorat violenter ferè vniuersa quæcunque reperit; at verò ignis à Philosopho in 2. de gener. tex. 41. vocatur superabundantia caloris. Sic ruinæ, & submersiones ab elementis terra, & aqua fiunt, quæ violenter obruunt, & sepeliunt quæcunque intra se absorbent; & id præstant causa excessus, & superabundantiæ suarum qualitatum suæque amplitudinis. Venenum necat ex templo violenter excessu suarum qualitatum; putant enim Philosophiæ professores venenum habere excessum quemdam qualitatem, sic percussiones quæq. & vulnera cum superabundant grauitate necant, quod non efficiunt si sint leues, Negari igitur non potest, quod violenta quælibet quæ vitam abscindunt ex templo, id non efficere, nisi causa excessus, & superabundantiæ intensionis qualitatis, & amplitudinis. Quis autem ignorat vbi concurrunt hostilibus radijs ambo malefici quod proculdubio summum, & super affluentem intensiuè, & extensiuè producant effectum itaut etiam singuli malefici, & soli excessum qualitatum efficere valeant, quoniam re vera Saturnus in summo frigefacit, & exsiccat, Mars incendit, & deuorat. Quod si ipsis famulentur stellæ fixæ de eorum natura, eo magis summum violentum, & super affluentem producunt effectum maleficæ: Nam ex Hippocratis, & Galeni doctrina stellæ fixæ producunt summum excessum qualitatum temporum Anni; vt Canes & Leo summum calorem &c. Patet igitur vnde fluant violenta quæque & quod naturalia sint.

Quod si quis dicat vulnera, & percussiones quæ in seditionibus, & insulturis imponuntur, non sunt naturalia, quoniam procedunt à causis liberis. Respondemus quod nos loquimur de effectibus in patiente, non quatenus procedunt à

causis

causis liberis, in quibus velle, & nolle libera sunt proculdubio quamuis si magna ira afficiantur iusta causa primi motus non censentur liberi neq. damnantur criminis vel culpæ. Redemptor noster Iesus Christus ait *necessarium esse venire scandala* nimirum ex parte passibilium; *verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit*, quod est ex parte agentis. Hinc viri pij, & qui timent Deum ne vitijs obnoxij fiant incumbunt ad excolendum animum virtutibus; ad eijciendas immoderatas passiones, & imperandum sibi ipsis ad præstandum alijs quod sibi exoptant, & abstinendum ab eo à quo & ipsi abhorrent. Non ita qui relinquunt habenas vitijs, & concupiscentijs, & passionibus animi, & feruntur quocumq. eos duxerit propensio sine contemplatione discriminis boni, & mali, à quibus plerumq. emanant scandala.

Rursus aliquis obijciet communis Astrologorum est sententia, quod aliquæ stellæ fixæ, etiam naturæ planetarum beneficorum, afferant violentum exitum, vt Spica Virginis cum maleficis potionem veneficam, similiter & quædam aliæ fixæ. ipsi planetæ benefici, si praue afficiantur & à maleficis lædantur, ait Ptolemæus, vt Iuppiter iudicum, & Principum indignationem, Venus mulierum fraudes, & veneficia. Respondemus, cauendum esse & notatu dignum semper & in quouis rerum capite de commixtione tum Planetarum ad inuicem, tum etiam fixarum cum ipsis. Quoniam enim qualitates masculæ actiuæ sunt, & robustiores, fœmininæ verò passiuę, & tenuiores, & in vniuersũ qualitates superaffluentes alijs temperatis, quotiescunque accidit masculum planetam maleficum iunctum esse & quouis modo eleuatum supra fœmininum, vel temperatum beneficum, corrumpit eorum beneficam naturam iuxta Ptolemæi doctrinam, & infert eorum causa, & medio prauos effectus; non quidem quod ipsæ beneficæ exhibeant perditionem, sed occasionem; perditio enim vnius cuiusque ex ipso est, & vnusquisq. faber suæ fortunæ; quoniam iniquè se gerunt, & agunt contra Principum, & legum decreta, prouocant ad iram & contemnunt Principes Reginas, mulieres, homines &c. & inde oritur eis occasio perditionis. & hoc est quod vult Ptolemæus, & omnis Astrologiæ professor. omnia enim sidera vt sæpius diximus agunt secundum

habitum, quem induunt, & secundum suas proprietates, atque etiam secundum passibilium rerum potentiam.

CAP. XXXXVI.

Quæ significata proficiscuntur à stellis fixis.



IN superiori tractatu exposuimus naturam & proprietates signorum; qua ratione facile possumus etiam omnium stellarum fixarum proprietates venari: attamen non tædeat hic nonnulla subdere de ipsis stellis fixis cognitu digna, imò necessariò requisita.

In primis igitur dato natali Themate obseruandum est si in Horoscopo ascendat aliqua è fixis stellis illustrioribus; vel coascendat, siue condescendat cum Sole maximè de die, vel cum Luna potissimè de nocte, & siue Luna in patenti luceat Hemisphærio, siue lateat in silenti: hoc enim nihil affert differentiæ, semper enim Luna de nocte temporis dominium assumit, & vocatur luminare conditionis, Tunc obseruandum si ad Horoscopũ, vel ad luminare cum fixis prædictis inuetum malefici hostilẽ radium eiaculantur, vel etiã Parallelum siue Declinationis, siue cosinicum. Quod si nullus beneficorum benigno radio succurrat Horoscopo, vel luminari; vel si succurit quidẽ, sed infeliciter ipse beneficus se gerat, vtpote retrocedens, cadens ab angulis, & dignitatibus, vel peregrinus, cum cauda Draconis, vel maleficis suppositus; stella fixa illa naturam suam, suasque qualitates cum infelici à maleficis effectu commiscet, & adauget.

Item obseruandum si malefici cum fixa illa habeant Parallelum Declinationis, vel cosinicum; siue etiam contingat manente fixa in vno angulorum quolibet, luminaria à maleficis læsa habeant Parallelum ad fixam illam, siue etiam tunc malefici occupent angulos, eumdem in genere effectum ostendunt. Quibus accuratè perceptis proprietates fixarum, quas nunc sub jc nius adiungemus ad effectuum videlicet in specie naturam cognoscendam.

Pegasei inferunt casum ab equis, ossium potissimè tibiarũ quibus præsunt fracturam, vel ibidem plagas, & à bestijs lesiones, carces, morsus &c. Ple-

Pleiades, & Hyades submersionem, fluxum humorum, maximè ad fauces, suffocationem, Anginam.

Aldebaran ex igne, vel gladio, vel bestijs vulnera iugulationem, suspensionem, vel strangulationem, & capitis sententiam; luxationem.

Hircus vulnera, & à feris læsiones.

Caput Algol capitis præcisionem.

Orion strangulationem, naufragium, vulnera, seditiones, captiuitatem.

Cor Hydræ venenum, pharmaca, & potiones veneficas, ictus venenatorum, morbos contagiosos.

Syrius, & Procyon vulnera, naufragia, contagiones, venenum caninum.

Basiliscus ignem, vel gladium, percussiones, cardialgiam, cordis passiones, palpitationes, sincopas.

Cauda, & dorsum Leonis dolores & affectiones renum, & laterum, luxationes, captiuitates submersionem, virus.

Arcturus vulnera, casus, fugam, exilia.

Spica Virginis, tormina, colicos dolores, dysenteriam, venenum, pharmaca dolosa, Hydropem.

Cor & Cauda Scorpionis ictum venenatorum, vulnera per ignem, & gladium, submersionem in fluminibus, cordis passiones.

Hercules iugulationem, capitis mulctam, verberationes.

Cete & Delphinus naufraggia, & ad remigium decationem humorum fluxiones.

Andromada partus laceros, ventris tormina.

Cassiopea carceres, & captiuitatem.

Ophiuchus pocula dolosa, venenatorum ictus.

Aquila, Cygnus, & Lyra suspensionem.

Sagitta ictus gladij, cæcitatem.

Fomahand submersionem in fluuijs.

Lances suspensionem. Atque similiter ratiocinando de singulis fixis iuxta imaginum proprietates, quibus ad res inferiores referuntur tanquam causæ ad suos effectus, vnde ab ipsis effectibus causarum proprietates colligere non erit difficile.

Notandum verò, quod fixæ illæ, quæ meram beneficorum naturam & qualitates exhibent, non inferunt mala, nisi adsit

valida nimis infortunarum constitutio erga luminaria, & Horoscopum. Quæ verò mixtam vel maleficam habent naturam, afferunt violentos casus etiam cum mediocri malorum conspiratione. maximè stellæ primæ magnitudinis. Verumenimuerò in omnibus, & singulis casibus, si beneficæ succurrant, poterunt prodesse ad seruandum.

CAP. XXXXVII.

Ratio cognoscendi naturam & qualitatem effectuum in applicatione moderatoris vitæ ad suos promissores.



Valitates, & natura effectuum pendentium ab appulsu promissorum ad vitæ moderatores, (siue dicamus è contra, quod idem est,) sequi solent, & imitantur habitum constitutionis natalis: quod vt plenè intelligatur.

Sciendum est primò iuxta sæpius prædicta quod in cœlesti figura quædam sunt, quæ vocantur significatores, quædam verò promissores: Significatores sumuntur loco subiecti passibilis; de quibus quando loquitur Ptolemæus vocat quinque principalia loca, & ab Astrologis vocantur significatores moderatores, alijsque nominibus; & sunt Sol, Luna, Horoscopus, Culmen, & Pars fortunæ, & ex his Hylech, qui scilicet vitæ moderationem assumit: Sol verò moderatur honores, & dignitates; Luna mores, qualitates animi, matrimonium: Horoscopus corporis temperamentum & motum, intinera: Culmen actiones Magisterium, munera, filios, amicos. Pars fortunæ facultates: vocantur igitur hi moderatores, & vnusquisque in suo genere. Promissores verò sunt omnes stellæ, siue errantes, siue fixæ; maximè illæ, quæ in natale familiares sunt, vel alio modo dominantur ipsis significatoribus: nam quoniam nihil fit, quod non præexistat potentia, prout docet Philosophus in pluribus doctrinæ suæ locis; stellæ, quæ in natali familiares sunt vel dominantur ipsis moderatoribus prædisponunt, & præordinant in eis suis videlicet qualitatibus suos effectus; quo facilius adueniente per Directionis motum applicatione nouæ familiaritatis eliciunt effectus: ideoque dum

dum præordinando promittunt effectum, promissores vocantur. Quare sequitur vt promissores denuo applicando ad significatores, cum quibus familiares erant in natali, quod effectum producant iuxta suam naturam, & familiaritatem, quam habent in natali, sicut diximus.

Quādo igitur significator applicat ad promissores siue corporè, siue ana familiaritate primò spectandum est quomodo se habeant in natali tum significator, tum ipsi promissiores erga illum, atque considerandum est cuius naturæ sit vnusquisque promissor, & quem habitum induat tum eliacè tum cosmicè, tum erga cæteras errantes, tum fixas.

2 Cuius naturæ sit familiaritas inter eos, & tam in natali, quam in loco occursus: nam à maleficis hostilis, vel indifferens vt coniunctio, & parallelus perniciosa est, à beneficis verò benigna, & indifferens proficua est; imò ad seruandam vitam etiam hostilis valet, vt habet Ptolemæus cap. de moderanda vita.

3 An in loco occursus conueniat aliquis alius Planeta, vel fixa, siue etiam cominus præcedat, siue sequatur: plurimum enim valet vel ad seruandum, vel ad perdendum, vel ad speciem effectus definiendam.

4 Spectetur natura signorum in quibus tam promissores, quam significatores inuenti sunt. Scilicet an calida, an humida &c. & an fixa an mobilia &c.

Quibus omnibus diligenter spectatis, ex iis quæ iam dicta sunt in toto opere facile colligemus cuius naturæ, & qualitatis, tum etiam magnitudinis effectus Directionis in vnoquoq. genere significatorum sit futurus.



CAP.

CAP. XXXXVIII.

De electione temporum, medicamentorum, alimoniarum, aeris, & regionum, motus, vel quietis, vel cuiusuis alterius rei tam ad curam aegrorum quam bene valencium cautelam.



IN superiori tomo diximus de temporum electione in genere, cum videlicet non fuerit cognita natalis ægrotantium constitutio, in qua electione non prætereundum; quod in exhibendis phamacis quibuscunq. oportet iungere Lunam planetis morbo aduersis; vt si morbi author inueniatur esse Saturnus; opus est iungere Lunam Ioui, si Mars Veneri, & de radio valido, & benigno, & beneficæ eleuentur supra maleficas si fieri possit; alias saltem vitentur radij hostiles maleficorum morbi authorum. Item si morbi duxerint originem à quadrantibus circuituum pone luminaria in quadrantibus aduersis, in quibus de Galeni, & Hippocratis sententia soluuntur morbi; & si non poteris expectare quadrantes in Anno contrarios pone luminaria in quadrantibus aduersis in circuitibus diei & mensis;& hæc ratio valet semper, &in cunctis casibus, etiamsi cognita sit natalis constitutio ægrotantis; tunc verò insuper cauendum, ne ponatur Luna in locis, vel hostilibus radijs maleficorum natalis, id quod etiam accuratè obseruandum in ijs, qui per Annum ad præseruationem purgari solent, & in ijs maximè, qui timent imminentem adesse morbum, ex instante malefica Directione moderatoris vitæ.

Item cauendum ne Luna hostiles radios proijciat ad Locum Directionis, vnde ortum habet morbus vel præsens, vel imminens.

Cæterum si constet de natali constitutione alimoniæ, loca regionis, & aeris, motus vel quies, vel alia res ad præseruationem eligantur quæ obsistant qualitatibus illorum maleficorum, qui censentur posse producere quam proximè aliquam ægri-

ægritudinem, quo nimirum opportunis contrarijs muniamur, & semper, & omnia cum peritorum artis medicæ professorum consensu.

Vbi meminisse conducit, quod si ægritudo timetur ex melancholia, quæ solet egredi tempore Autumni; fiat purgatio in Vere, cuius tempus contrarium est illi; si ex bile flaua, fiat purgatio exeunte Hyeme, atque etiam posita Luna in quartis Zodiaci, mundi, & Solis simili modo ad hanc rem opportunis, & morbo aduersis: nam in offerendis medicamentis semper accipienda sunt tempora similia naturæ medicamenti, quod proculdubio pugnaturum eligendum est aduersum morbi; sic enim cooperamur, & open addimus ad maiorem medicamenti efficaciam; nam si sidera dissentiant parum vel nihil proderunt pharmaca.

Illud quoq. ad tuendã,& conseruãdam sanitatem cauere debemus; videlicet quando in quotidianis vniuersalibus circuitibus luminaria, maximè verò Sol læditur à Saturno & eo magis in quartis frigidis, abstinendum esse ab alimentis frigidis, vt sunt oleraq. piscesq. mala, aquæ potus &c. potissimè verò senes, & qui frigidas patitur affectiones, & humores, vel dolores, & si aliquando colicos fuerit passus: tunc verò maximè quando contingunt nouilunia, plenilunia, & Dicotomæ super Saturnum natalis, vel in eius radio hostili. Pari ratione abstinere debent ab alimentis calidificis maximè iuuenes, & qui solent incidere in febres tertianas, Erisipelata aliosq. morbos calidos quando luminaria læduntur à Marte, sicut diximus, & in locis hostilibus Martis natalis: imò potius tunc alimentis qualitate contrárijs vtendum.

Addo quod vbi nouerimus in proximò futura esse nouilunia sicut diximus, erit valde vtile præcurrere, & munire se alimentis imò, & medicamentis qualitate contrarijs quibus præmuniti facilius fauente Deo O. M. transibimus illas Astrorum iniurias.

Item aduertendum, quod cognita causa tum ægritudinis, tum humoris, vel partis corporis læsę, oportet collocare planetam humori, & parti læsæ dominantem iunctum de benigno radio cum beneficis, & his omnibus ipsam Lunam item de benigno radio, vel indifferenti: sic enim fiet vt ipsum humorem, vel

partem læsam ad sanitatem, & bonum temperamentum reuocare valeamus: Vt exempli gratia si morbus procedat ex calore hepatis, iungantur Luna Veneri de radio benigno, & vtraque vel saltem Venus Ioui: si ex affectione Pulmonum sumatur Iuppiter Veneri, & Lunæ familiaris &c. & hi planetæ ponantur cardinales, valentes, orientales, & omnibus modis possibilibus felices, & robusti. Dixi omnibus modis possibilibus; nam raro contingit, vrgentis causa morbi, vt omnia, & singula seruare possimus: obseruentur saltem maiori ex parte, & quæ magis conducunt: nam è contra si infelices inueniantur à maleficis submissi, & debiles potius morbum augebimus: id quod rationi consentaneum omninò videtur esse.

In exhibendis pharmacis quibuscunque siue violentis, siue fouentibus, (violentorum titulo intelligo solutina & mouentia) iungatur Luna sideribus benignis; quod quidem præceptum tum ab antiquorum, tum recentiorum traditis videtur dissentire, asserentium, ne pharmacum in nutrimentum conuertatur: Nam dico ego, quicquid fit, de quo desideratur profectus, opus est vti beneficis, de quo verò destructio, maleficis; & hæc omninò, sicut albi dixi: Ad hanc rem nouissimè accepi exemplum ab Alexandro Plessa Medico Collegij Ticinensis virò erudito, qui accitus ad visendum pleuriticum co deductum supra octauam diem, vt animam ageret, scilicet die 2. Maij 1662. in vesperis, & vt præberet pharmacum rogatus, cum renueret, quod iam amplius minimè prodesse, quin imò mortem accelerare poterat; instantibus domesticis dedit statim confixus Astrorum clementia quę ipsa eadem hora vigebat, & extemplo æger leuatus est, & conualuit plenè cum omnium admiratione, iungebatur enim Luna Ioui in signo Scorpionis, defluens à quadrato Martis, qui morbi author fuerat; similium autem casuum plures audiui. In omnibus igitur medicis operibus iunge semper Lunam beneficis, & nihil timeas. Si autem velis quomodocunq. persequi sicarios, & latrones, iunge maleficis, maximè de hostili radio, & contere eos.

Item si per directionem moderatoris vitæ natalis videantur imminere pericula ex aquis, vel ex itinere non ingrediaris illuc iuxta præscriptum tempus; maneas domi, & abstine ab alimentis humidis, ne alio quouis modo fluentibus mergaris:

atq. similiter in cunctis casibus prudenter cauendo geras; sit enim vt sapiens dominaberis astris.

Si immineat quiuis morbus consule peritum medicum, & sume pharmaca manente Luna de radio benigno iuncta beneficis robustis, & ponantur planetæ feliciter collocati, qui partes illas, vel humores respiciunt fore morbo subiectos; & cum auxilio summi Dei euades.

Item si nota sit natalis constitutio, quod supponimus in hoc tractatu, caueas in exhibendis pharmacis, ne Luna maneat super loca, vel in radijs hostilibus maleficorum natalis, sed pone semper ipsam super beneficos, vel in eorum radijs benignis; vel si necessitas cogat caueas saltem à maleficis modo prędicto, & præ omnibus vitabis dies nouiluniorum, & pleniluniorum, atq. dicotomiarum: & in phlebotomia, vel quouis alio modo à tangēdo ferro, vel igne vel aliter violenter partē corporis subiectam signo in quo fuerit tunc Luna, sicut innuimus in superiori tractatu.

Vltimo loco dico, in annis climactericis, & potissimè circa verum momentum, non esse exhibenda violenta queq. alicui, siue benè, siue ægrè valeat, sed tantum fouentia, & roborantia: at solum incumbendum ad coctiones, & bonas nutritiones, videlicet modico alimento, sed optimo.

CAP. XXXXIX.

Continens nonnulla addenda ad propositiones, quas alibi exposui.



Vicunq. ad scientiam, & veram cognitionem de rerum esse propius accedere concupiscit, tum ab odio, tum ab amore longè recedat opus est. quod si plures diuersęque dentur Authorum sententiæ, non dedecet, imò congruum censendum est clarissimis omnium adhærere, & assentiri, tandemq. ipsi, quam præ cunctis, & vniuersis debemus colore, rationi.

In superiori tomo quæstiunculam Proposui, an qualitates propriæ mixtorum, & in specie calor, & humiditas viuentium sint qualitates elementorum, & ab ipsis elementis vel productæ, vel desumptæ, quam difficultatem rationibus, atq. Galeni, & Aristotelis doctrina persolui; nimirum has viuentium qua-

litates,& mixtorũ proprietates nõ esse elemẽtares, neq. ab elementis productas, vel acceptas, sed introduci in hanc sublunarem materiam à Sole, & Luna, ideoq. ad nobiliorem ordinis gradum eleuari, ad quem peruenire non posse elementa, vel eorum qualitates ibidem manifestè probaui.

Ad hanc rem plures rationes attuli, atque prædictorum authorum verba, maximè verò Galeni, qui in libro de Marasmo diffusè ostendit differentiam inter calorem viuentium,& flāmæ ignis. Quoniam igitur nõ desunt doct.ssimi viri, qui constanter asserunt calorem viuentiũ nõ esse quidem de natura nostri huius inferioris ignis, esse tamẽ de natura ignis elementaris, illius videlicet, qui inuenitur in sua sphęra apud concauum Lunę, qui, dicunt ipsi, est magis purus, ignis verò noster impurus, & longe deterioris perfectionis, quam sit ille; Cum qua differentia putant remouere omnem difficultatem, & interpretari dictorum Authorum verba: Consequens est vt videamus, an hæc differentia, quam afferunt inter ignem concaui Lunæ, & hunc nostrum rationi consentanea sit, & sufficiat ad tollendas difficultates, non enim videtur eas soluere.

Primo. Quando dicunt nostrum hunc ignem esse valde impurum, non aliud proculdubio intelligere possunt nisi quod sit mixtus ex alijs elemẽtis; sed hoc nihil obstat, imò est necessarium; nā in corporibus mixtorũ sẽper adsũt omnia quatuor Elementa ex Arist. doctrina in 2. de gener. tex. 59. Præterea ijdem doctores affirmant non darj elementum purum in natura: ergo ignis elementaris etiam in propria sphæra, cum non sit purus, vt dicunt ipsi, nihil differt à flamma nostri huius ignis. Quod si dicant nostrum hunc ignem adhuc magis impurum esse: magis & minus non variant speciem, vel naturam: & re vera in diuersis mixtis maior & minor calor, id est magis, & minus purus inuenitur: ergo si ignis noster nõ est aptus recuperare vitalem calorem in viuentibus, sed neq. affirmari potest eidem; sequitur procul dubio, quod neq. ignis elementaris concaui Lunæ aptus sit ad munera vitæ in viuentibus &c. Atq. ita ratio Galeni valet tam in comparatione flammæ nostri ignis, quam ignis illius elementaris.

2 Flamma nostri ignis videtur esse elementaris, quoniam ascendit supra aerem ad suam videlicet sphæram; ergo non differunt

ferunt noster, & elementaris.

3 Flamma nostri ignis habet eamdem naturam, & easdem proprietates, quas ignis elementaris concaui Lunæ: calefacit enim, & exsiccat: ergo sunt einsdem naturæ. Rursus ignis elementaris in sua sphæra incendit, & vrit exhalationes, cometas &c. eodem modo, quo noster incendit, & vrit pabulum.

Notandum hic est, Quod cum sit opus manere ignem apud nos ad plurima opera maximè verò vt noctis tenebras sua luce depellat; possibile verò nõ sit ipsum manere extra suam sphæram, nisi adhæreat graui, & permanenti pabulo: nam alias vel ascenderet ad suam sphæram, vel à circumstantibus elementis, vtpotè illi contrarijs corrumperetur, sicut de facto accidit flãmæ deficiente pabulo; ideo exhibemus pabulum vt apud nos maneat. Et hæc est summa differentia inter nostrum, & illum; quæ quidem differentia accidentalis est nimirum localis.

4 Dicunt ipsi quod ignis noster est impurus ratione commixtionis pabuli, idest aliorum elementorum: sed hoc non impedit, quin possit ingredi ad constituendum mixtum: imò eò magis aptus erit, quoniam ratione talis commixtionis deponit summos gradus, id quod requiritur in omnibus quatuor elementis ad constituendum mixtum, iuxta Philosopi doctrinam in 2. de gener. à tex. 46. Si verò ipsi velint inferre nostrum hunc ignem esse putrescentem; hoc non videtur verisimile; quoniam dato pabulo conseruatur in æuum: quæ enim putrescunt tandem intereunt. ergo si elementaris aptus est ad munera vitæ, etiam noster aptus erit &c. sed hoc falsum, ergo & illud.

5 Ignis elementaris etiam in propria sphera assimilat passum sibi, non alijs, sicut efficit vitalis calor; & notat ex professo Galenus; nam exhalationes, & cometas in ignem conuertit: ergo differt sicut ratiocinatus est ipsemet Gale. à vitali calore, qui assimilat passum partibus viuentis, imò perficit, idest alimentum, quod cum non sit animatum, reddit animatum.

7 Si Sol non est aptus producere calorem nobilioris perfectionis, quam sit calor ignis, ergo solis substantia non erit nobilior, neque diuersa à substantia ignis; sed hoc damnat, & reijcit Aristoteles contra Heraclitum in 2. meteor. sum. 1. cap. 2. ergo etiam id falsum est quod inde sequitur.

8 Si calor viuentium est elementaris proculdubio non conseruatur in viuentibus, nisi ratione pabuli: alias enim cum ibi maneat extra suam sphæram, ad eam ascenderet, vel corrumperetur; ergo eiusdem esset naturę cum flamma ignis, & cũ eadem impuritate: sed hoc improbatur à Galeno, & differentia ab eo allata conceditur ab aduersarijs; ergo non est elementaris, sed nobilioris naturæ, sicut proposuimus.

9 Calor nostri huius ignis est elementaris etiamsi dicatur esse impurus; nam proculdubio alicuius Elementi est calor; conseruatur autem in hac inferiori plaga ratione pabuli ob quam etiam dicitur esse impurus alias enim ascenderet ad suam sphęram, vel corrumperetur: in propria etiam sphæra quando accenduntur Cometę perseuerat ignis quousq. adsit pabulum. Sed ignis dato pabulo perseuerat in perpetuum: igitur si calor viuentium sit igneus, poterit dato pabulo perseuerare in perpetuum, sed hoc à Galeno lib. de Marasmo dicitur quod fieri non possit; prout etiam vsu non apparet possibile. ergo &c. Hactenus de his.

Apud meas Ephemeridas proposui, & demonstraui dari elementa pura: & de salsedine dixi, quod sit saporum species quędam oriunda è siccitate cœlesti, & quod generatur ex corruptione humiditatis cœlestis, atque ex corruptione mixtorum. Iidem doctores persistunt asserendo, quod salsedo non generatur, sed simpliciter secernitur; extrahitur enim, aiunt ipsi, & secernitur ab vniuersis corporibus.

Respondeo verum esse quod inuenitur, & extrahitur salsedo ab omnibus corporibus mixtis, sicut omnes quoque sapores, & odores ab ipsis mixtis extrahuntur: quæ extractio nihil aliud est, & nullo alio modo fit, nisi reuocando hæc accidentia ad minorem quantitatem materiæ & Elementorum, & separando maiorẽ copiã materię, quæ in fine remanet priuata ijs accidentibus: nam tandem supersunt pura elementa; quæ quatenus pura sunt nullum habent saporem: quod & aduersarij quoque tenentur id concedere, si salsedo secernitur tantum, & non generatur.

Verum enimuerò, reuerenter dixerim, puto hos doctores in errorem labi asserendo salsedinem non generari; nam neque corrumpi poterit; alias enim prorsus periret. Incidimus autem

tem in absurdum maximum, nimirum quod salis corpus, vel ipsum accidens salsedinis ingenerabile, & incorruptibile sit in sublunari plaga.

Generatur ergo, & corrumpitur sal, & est vnum ex mixtis imperfectis, sicut glacies &c. nimirum constans ex vno tantum elemento, idest Aqua, & siccitate cœlesti, qua cogitur, sicut glacies frigiditate: nam etiam aquæ maris coactæ sunt & grauiores quam dulces propter salsedinem, vt profitetur Arist. pręcæteris sect. 23. Probl.

Cæterum salsedo in nostris corporibus nō tātum generatur, & corrumpitur, verum etiā propagatur per veram generationem ad instar veneni, habet enim vim mordacem. Rursus communicatur per contactum; nam complures morbi ex humoribus salsis oriundi per contactum communicantur: Cumque generetur ex putrescente humida & cruda materia etenim salsedo est excrementum alimenti humidi ex Philos. in 2. meteor. sum. 1. cap. 3. extinguitur per coctionem, & exsiccationem, quæ est ratio medendi fluxum humoris salsi, & morbos qui inde oriuntur, vel qui causæ sunt fluxus talis humoris; opus autem est ad summas causas pertingere expugnandas.

Tandem in eodem tractatu dixi cum Aristotele in meteoris, quod exordium fluminum, & fontium nullo alio modo contingat, nisi per veram, & substantialem transmutationem Aeris in aquā intra cauernas terræ. Dicunt ipsi quod alij probati Anthores asserunt aquas fluminum, & fontium à mare duci per subterraneos aditus, & venas ad summitates montium.

Respondeo non intelligere quomodo Aqua cum sit corpus graue infra terram, possit ascendere ad cacumina montium sublimium, quæ supra terram descendit; Noui eos respondere, quod terra ad instar spongiæ sugit aquas maris vsque ad sublimiores colles, Verum, sine lector, poterunt illi haurire aquam è puteis sine labore, quoniam terra ad modum spongiæ suget aquam putei vsque ad os, & eo vberius, quo longè propinquior est aqua putei ad os summ, quam sint cacumina montium, vnde fluunt fontes ad mare, quæ centenis milliaribus distant. Quare licet non desint Authores in contrarium sententes, mihi magis probatur Aristotelis sententia ex meteoris, quæ talis est, qualem exposui, tandem ipsa ratio, quæ magis

adhuc

adhuc, quam hominum dicta.

Poterit quis contrà hanc Aristotelis, & nostri sententiam afferre verba ex cap. 1. Ecclesiastes. *Omnia flumina intrant in mare, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.*

Verum quidem est quod flumina exeunt à mare, sed non per subterraneas venas, vt quidam pueriliter censent; sed extrahuntur aquæ maris à Sole cum in aerem conuertuntur, modo quem diximus; aer autem iterum in aquas vertitur vel in cauernis terræ vel in pluuijs &c. vt iterum ad mare fluant, vnde exeunt modo prædicto. Hoc autem plerisque videtur difficile intellectu; quapropter Ecclesiastes videns quod rem hanc pauci intelligerent, subdit statim & immediatè. *Cuncta res difficiles, nec valet eas homo explicare sermone.*

Hæc addimus, ne videamur neglexisse ea, quæ obijciuntur.

CAP. XXXXX.

De Finibus Cosmicis nuper cognitis.

SVadentibus amicis meæ sententiæ addidis & præ-cæteris Negusantio & Origineto hæc addere, sicut iam statueram, ita nunc exhibeo. Etsane profectò quod in latione siderum non modo particulari in Zodiaco, verum etiam vniuersali circa mundum possint inueniri iura finium Planetarum, ratio euidens est: nam finium in Zodiaco, vt vidimus in Cœlesti Philosophia; ratio principalis deducitur ex configurationibus ad puncta mobilia: at verò configurationes dari etiam in mundo, quas ideo cosmicas vocamus, ibidem validissimis rationibus demonstratum à nobis est. Seruata igitur hac methodo.

In primis patet quod motus vniuersalis contrario modo se habet ad particularem; ita etiam ordo virium, & radiorum siderum in mundo contrario modo se habet, quare etiam fines contrario modo ponendi sunt.

2 Domus non sunt inter se simili modo æquales, sicut signa; ideoque nec fines eamdem partium mensuram habere possunt, sicut in signis. Vnde sequitur, quod proportionem quamdam habere debent ad magnitudinem domorum; at verò domorum magnitudines sumuntur ex quantitate Arcus diurni, & nocturni

turni, si tamen sequimur Ptolemæi methodum, quam præ vniuersis aliorum Authorum singulariter veram esse physicis rationibus à nobis alibi latè demonstratum apparet. Quibus sic se habentibus incipiendo à puncto orientis tanquam à principo signi Arietis, cuius naturam, & similitudinem habet.

Primas partes Domus xii. damus Ioui, vt occupet quintam partem totius Domus xii. sequentes damus Veneri, quæ obtineat aliam quintam partem; Quæ sequuntur vsque ad duas partes è tribus sunt Mercurij. Deinde Martis vsque ad partes quinque e sex; Quæ remanent nouissimæ dantur Saturno. Atque simili modo ratiocinando de reliquis Domibus, seruato ordine finium Aegyptiorum: nisi tantum in signo Aquarij, in cuius medio nos censemus poni debere fines Saturni, deinde Iouis, in fine Martis.

Cæterum hic Lectorem admonendum operæ pretium duximus quod in Tabella finium exposita in nostro Primo Mobile adest error in signo Tauri, vbi qui fines in medio adscripti sunt Ioui, debent dari Saturno, & è contra qui dantur Saturno, tribuendi Ioui, Iuxta Aegyptiorum veram, & vulgatam Tabellam: quamuis viderim circumferri in quibusdam codicibus Tabellam titulo ægyptiorum, quæ continet fines cum supra notato mendo. Accipe nunc igitur Tabellam finium in mundo, sed non per gradus, sicut in Zodiaco, sed per proportionales partes Domorum: quod si videas aliquando contingere varietatem vnius gradus, nihil refert, nam fractiones non poterant exprimi meliori modo.

D. Fulgentius Orighetus omnino instat quod tota Domus prima incipiendo à confinibus cum secunda sequatur naturam signi Arietis, atq. pari modo omnes cardines naturam signorum mobilium; cadentes fixorum & succedentes communium: Vnde fines cum hoc ordine collocandos esse. Sed hæc distributio repugnat rationi, & principijs à nobis alibi datis; nam Quadrantes mundi sua exordia, & confinia acccipiunt à punctis cardinalibus, quippe in quibus incipiunt noui modi influendi, qui sunt accessus, recessus, prope, & procul esse, quemadmodum contingit in punctis mobilibus Zodiaci, vt alibi latius disseruimus. Dicit autem quod sicut Cardines robustissimas habent vires, ita

TABELLA


Finium in mundo seruato ordine finium Ægyptiorum in Zodiaco.

Domus					Ad finem.
XII	1/5 ♃	2/5 ♀	3/3 ☿	5/6 ♂	♄
XI	1/4 ♀	1/2 ☿	3/4 ♄	9/10 ♃	♂
X	1/5 ☿	2/5 ♃	3/5 ♀	4/5 ♂	♄
IX	1/4 ♂	2/5 ♀	3/5 ☿	9/10 ♃	♄
VIII	1/5 ♃	2/5 ♀	3/5 ♄	4/5 ☿	♂
VII	1/4 ☿	3/5 ♀	3/4 ♃	9/10 ♂	♄
VI	1/5 ♄	1/2 ☿	3/4 ♃	9/10 ♀	♂
V	1/4 ♂	2/5 ♀	3/5 ☿	4/5 ♃	♄
IV	2/5 ♃	3/5 ♀	3/4 ☿	9/10 ♄	♂
III	1/4 ☿	1/2 ♃	3/4 ♀	9/10 ♄	♂
II	1/4 ☿	2/5 ♀	3/4 ♄	5/6 ♃	♂
I	2/5 ♀	1/2 ♃	3/5 ☿	9/10 ♂	♄

ſigna mobilia ; ſed non videtur verum ſigna mobilia habere robuſtiſſias vires : punctum quidem mobile quodlibet robuſtiſſimum eſſe, ratione præcedentis influxus verum eſt, ſed non totum ſignum mobile, nam traiecto puncto mobile ſtatim infirmantur vires Aſtrorum, quoniam incipiunt nouum modum influendi ; exordia verò in ſucceſſiuis entibus lenta ſunt, & debilia; vltimæ partes robuſtiores, quia hæ præſtant intenſiores qualitates. Fauet autem noſtræ ſententiæ Ptolem. qui docet quod domus cadentes decernant itinera; at verò ex communi profeſſorum ſententia ſigna mobilia ſignificant & ſumuntur ad itinera,& res tranſlatitias id quod etiam profitetur Ptolemæus cap. de opificio. lib. 4. Vide quæ ſupra diximus ex Ptolemæo cap. de Gibbis, & Luxatis.


Sciendum hic eſt quod cum fines coſmici ſequantur motum vniuerſalem, pollent apud locum coſmicum moderatoris in natali; atque in loco Directionis conuerſæ, non in loco Directionis rectæ in Zodiaco.

LAVS DEO.




FIGVRA

Duodecim Domorum Cælestium, quarum quæ singula præsint singulis partibus corporis humani, iuxta nouissimam à nobis vulgatam sententiam.



QVoniam hæc distributio contraria est tum antiquorum tum recentiorum sententijs, si naturales de ipsa rationes, Lector benigne, desideras, vide in superiori Tomo cap. 23. Exemplaria habes præmissa in decumbentibus, & nunc accipies in natalibus.




QVIN-

QVINQVAGINTA NATALIVM EXEMPLA NOTATV DIGNA, E GRAVIBVS PARTIM AVTHORIBVS DESVMPTA.

Partim à præclaris & doctis Viris accepta.

EXEMPLVM PRIMVM Gregorij XIII. Pontif. Max. De animi deliquio & febre. ex Argolo



Latit.
♄ 2.12.M.
♃ 1.34.M.
♂ 1.43. S.
♀ 1.20.M.
☿ 1.14. S.

Declin.
♂ 21.27.

Dissentiunt inter se Maginus, & Argolus in describenda figura huius natalis; etenim ille ad horam 6. m. 54. P. M. ponit in Horoscopo gr. 23. m. 35. Leonis: hic verò ad hor. 6. m. 38. ponit gr. 8. m. 58. cum tamen ponendi sint gr. 20. Leonis; cum ergo videatur incerta hora, ex his duobus excessibus sumo medium ferè, & pono in Horoscopo gr. 16. Leonis; tunc autem peruenit ad Sesquiquadratum Martis. Supputatio fiet sumendo ter horaria tempora diurna Martis, quæ sunt p. 18. m. 43. & fiunt p. 56. m. 9. quibus addenda est distantia Martis à Culmine, quæ est p. 23. m. 21. & fit Arcus Directionis p. 79. m. 30. qui æquatus more nostro metitur Annos 83. Argolus Dirigit Horoscopum ad triuum Saturni, qui fit in signis longæ ascensionis, quod non videtur rationi consentaneum. Mercurius erat in centro occasus in mutua cum Saturno domo qui animi deliquia attulit, sicut diximus suo capite.

Cæterum quod radius sesquiquadratus sit efficax ad rescindendam vitam, maximè in senibus, atq. in natalibus debilibus vel ad vitā parum felicibus, non est dubium: imò addo quod etiam semiquadratus; est enim sesquiquadrans ad finitorem occidentalem, & in mundo vniuersaliter efficax: quod experimur in Crisibus; nam morbi acuti in quarto die decerni solent, vel per quaterniones iuxta maiorem vel minorem morbi vehementiam, vt in superiori tomo diximus ex doctrina Galeni & Hipp. atque omnium medicæ Artis Professorum attestatione. Obijt die 10. Aprilis 1585.

II.

Sixti V. Pontif. Max.

De febre tertiana

Climacterico tempore: ex Argolo.

Tanti miraculi, vt Vir iste è pascendis ouibus, & armentis, ad homines & Reges totius mundi pascendos, & regendos extolli idoneus inuentus fuerit vide Lector causas è satellitio Solis iuxta Ptolemæi doctrinā: Sol enim angularis cum Ioue congrediens in sextili Veneris cosmico positus est, qui radius Solis cum Venere rarissi-



mè accidit; & quandocunque miros effectus ostendit: habet quoq. Sol Parallelum Declinationis cum Marte, & Mercurio, manente Marte in sua exaltatione.

Notandum verò quod præter Mercurium omnes occidentales sunt, & Iuppiter non habet conditionem in signis luminarium ipse quoq. cadit ab altitudine: Venus item ponitur in suo à domo detrimento atque tum Saturnus, tum Venus occidentales & non angulares & luminaria in signis à sua natura alienis: adeoquod hæc constitutio non valeat ostendere claritatem parentum; possit tamen ratione felicissimæ affectionis maximè Solis luminaris conditionarij, miras in nato decernere felicis fortunæ casus; nam ad declarandam parentum nobilitatem censeo satellites debere esse orientales, & conditionatos maximè verò in iure dominij apud luminaria.

Obijt

Obijt ex febre tertiana in continuam conuersa Anno ætatis suæ 69. & Argolus dirigit Horoscopum ego verò Solem ad quadratum Martis duco: Nam Ascensio obliqua Solis est p. 295. min. 19. Ascensio obliqua quadrati Martis est p. 6. min. 55. à qua (mutuato ei integro circulo) deducta illa Solis, remanet Arcus Directionis p. 71. min. 36. qui æquatus dat Anno 69. Fuit tempus climactericum; nam die 69. à natali Luna inuenta est in grad. 24. Sagittarij ex aduerso scilicet loci sui natalis, è diametro cuius loci inuentus est Saturnus tempore mortis, in testimonium huius veritatis. Decessit die 28. Augusti 1590. hor. 23.

III.
Vrbani VII. Pontif. Max.
De febre.
Climacterico tempore ex Argolo.



Ad

AD Annum ætatis 69. expletum Argolus dirigit Horoscopum ad □ ♄ in Zodiaco: Sed ego potius dico ipsum Horoscopum, qui vitæ moderator est ad quadratum Saturni peruenisse à centro Imi, detractis ab hora exposita decem tantum horæ minutis. Ascentio recta Saturni est p. 314. m. o. Imi Ascensio recta est p. 250. m. 29. remanet ergo Arcus Directionis p. 62. m. 58. qui æquatus dat annos vitæ 69. ferè.

Fuit momentum Anni climacterici exquisitum: nam die 69. cum 4. horis pro tot Annis, & 2. mensib. ab hora natalis Luna inuenta est in gr. 12. signi Piscium ex aduerso loci sui in natali; atque ibidem celebratum est Plenilunium ante obitum, subsequente oppositione Martis, qui tandem die decessus fuit in gr. 7. Virginis in dies applicans.

Quoties vidi Luminaria maximè Solem vel conditionarium beneficis & fixis splendentibus stipata, atque ad superiorem Cardinem configurata licet ab angulis cadentia, conspicua munera exhibuisse semper cognoui.


Cæterum Luna in hoc natale non potest obtinere moderationem vitæ, quoniam cum habeat latitudinem borealem, & maneat in signo longissimæ ascensionis, extollitur valde supra finitorem Orientis. Obijt die 27. Septemb. 1590.

IV.

Clementis VIII. Pontif. Max.
De Hydrope,
Climacterico tempore: ex Argolo.

ARcus Directionis æquatus pro annis 69. quos vixit Clemens est p. 63. min. 57. Vitæ moderator proculdubio est Horoscopus, in quo si collocentur gr. 13. ferè signi Sagittarij (nam ad horam 13. min. 8. ab Argolo expositam debentur in Horoscopo gr. 12. min. 35. signi Sagittarij.) peruenit ad oppositionem Saturni, ibique celebratum est Plenilunium ante obitum: Fuit momentum Anni climacterici exquisitum; etenim die 69. à natali Luna posita est in gr. o. signi Scorpionis ex aduerso scilicet loci sui in natali.

Saturnus elevabatur supra Venerem parallelo Declina-



tionis, & erat ipsa ♈ & Sol in Quartis Zodiaci, & Mundi frig dis; & Luna in quarta mundi frigida paruo lumine lucens: Venus nulla cum Marte familiaritate communicabat, sed cum Luna quadrato radio; sed neque cum Horoscopo Mars; Saturnus verò ad Horoscopum habebat sesquiquadratum cum regrederetur & in Horoscopo erat signum Autumnale: frigebat igitur Saturnus natura, & habitu, & frigefaciebat Venerem & hepar, cui ipsa præest frigebant luminaria, & Horoscopus. Vides igitur causas Hydropis iuxta ea, quæ suis locis diximus.

Ex his 4. Exemplis aliisque infra expositis clare nitet veram rationem, & causam climacterici momenti non aliam dari, nisi secundum nostra principia; quæ methodus assentitur, & respondet vsque ad mensem: & est eadem

ratio

ratio, quæ in Crisibus, vt pateat huius scientiæ principia eadem semper esse firma, & infallibilia. Obijt die 3. Martij 1665.

V.

Infantuli Ticinensis qui intra hebdomadam extinctus est.

1658. Ian.
D. H. M.
21.22.50. ab occ.

Latit.	
♄	2.30. S.
♃	0. 3. M.
♂	1. 4. S.
♀	0. 14. S.
☿	1.25. M.
☽	4.51. M.
Declin.	
♄	4.40.
☽	7.32.

POst dies 8. à die natiuitatis huius pueri Interrogatus Astronomicarum rerum professor an puer hic esset victurus respondit negatiuè: Dictum autem est iam euolasse. Ad probandam enim professoris eruditionem factum est. Vides quod Sol temporis lumen ad quadratum Martis properat, manens in signo aduerso suæ Domus, absque vllo beneficorum auxilio: erat quoque Sol in quadrato cosmico Saturni angularis orientalis potentissimi in propria exalta-

altatione. Luna in Parallelo cosmico Martis applicans ad Saturni Declinationem; quam Luna successiue minuebat. ambo benefici decidebant ab angulis.

VI.

Alterius Infantuli, qui obijt die 13. Iulij.

Latit.
♄ 2.45. S.
☽ 3.38. S.
☿ 1.37. M.

Declin.
♄ 8.27.
☽ 6.49.
☿ 8.16.


1659. Martij.
D. H. M.
23. 16. o. Ital.
22. 21. 55. P. M.
♂ 2. ♈

HAEc generis transmissa ad me fuit è Neapoli ab Admodum Reueren. P. D. Hieronymo Vitali (cuius puer nepos erat) qui ad Philosophicas, & Theologicas scientias, quibus eruditissimè fulget addit etiam Astrosophicas: & quod Professores ibi non cognoscerent causam quare infans hic non vixerit, quibus se respondisse ex nostris principijs quod Sol luminare temporis in Martis parallelum cosmicum incideret; quod verissimum est, nec diu profuit Iouis Trigonus ad Solem, quoniam Iuppiter retro-

retrocedit positus inter vtriusque maleficæ hostiles radios. Vnde cognoscimus, quod eorum siderum, quæ concurrunt, pendendæ sunt vires; præualent enim semper quæ validiora, & plura sunt, vt ex Ptolemæo vidimus. præterea Luna cum esset Solis radijs combusta ad Saturni Declinationem properabat. Tandem Mercurius naturam Saturni ex Parallelo Declinationis hauriens; alias de se cadens à suis dignitatibus in centro Culminis ponitur officiens Horoscopo de radio quadrato. Vixit ad 13. diem Iulij tot videlicet menses, quot gradus desunt ad intimam applicationem Paralleli cosmici Martis ad Solem, atque Lunæ ad Declinationem Saturni, & Mercurij.

VII.

Tertij Infantuli qui mense Iunij obijt.



TErtij infantuli adijcio Exemplum, qui non peruenit ad annuam nutritionem, quod accipi iam à quondam Sacræ Theologiæ Magistro Massetta; in his quoque scientijs erudito. Vixit hic infans quinque ferè menses. Vides lector quod Luna lumen temporis, & vitæ moderatrix læditur quadrato cosmico à Saturno, atque à capite Draconis intra fines eclipticos constituta sine auxilio beneficorum. Successit intra decem horas eadem nocte Eclipsis Lunæ; quare ex doctrina secundariæ Directionis ostendebat quinque menses vitæ; cumque Luna esset vitę moderatrix, abdicata est ab hoc munere, & ab infantulo vitalem lucem abstulit. Hinc accipimus quod Eclipses, quæ conspiciuntur in motibus tum secundariæ Directionis, tum Progressionis timendæ sint maximè super loca moderatorum, atque temporibus infantiæ pro vita Directionis, & ad hanc rem plura vidi exemplaria.

VIII.

Laurentij Campeggi Abbatis Oliuetani De Apostemate in capite &c.

HIc patritius Bononiensis omnium disciplinarum genere Philosophicis, Theologicis, mathematicis, & politicis ornatus, in penetrando Cyphrarum occulta penè mirabilis, diem suum clausit Anno ætatis 57. & mensibus 8. die videlicet 19. Decembris hor. 11. noctis ant. cum decubuisset die 14. hor. 6. min. 30. noct. seq. Anni 1653. ex apostemate in internis capitis partibus, & ardenti febre; Quo tempore Sol vitæ moderator ad Parallelum Saturni in mundo vtroque motu, recto videlicet, & conuerso directus est; & motu conuerso steterat ad coniunctionem Lunæ, quæ de consequenti in genesi manebat in Parallelo Saturni cosmico. Quoniam verò Sol habet eamdem penè vsque ad minuta, quam Saturnus declinationem, & eiusdem nominis, itaut eorum Arcus semidiurni sint similes, vsque ad minuta ferè, Directionum supputatio facilis est, & arcus Directionis in vtroque motu idem est. Nam sumpta distantia Saturni ab Horoscopo per Ascensiones obliquas, hæc eadem est distantia secundaria Solis ab oc-



occasu; primaria habetur ex Ascensione obliqua oppositi Solis, quæ est p. 223. m. 20. itant distãtia primaria Solis ab occasu fit p. 69. min. 36. Ascensio obliqua Saturni in Horoscopo est p. 141. min. 35. quæ dempta ab ascensione Horoscopi relinquit distantia Saturni ab eodem p. 12. m. 9. hæc autem fieri debet distantia secundaria Solis ab occasu; quare detracta à primaria dat Arcum Directionis conuersæ p. 57. min. 27. Hunc Arcum addo ad Ascens. rectam Solis quæ est p. 30. min. 53. & efficio summam p. 88. min. 20. respondentem ad p. 28. min. 30. Geminorum, ad quam Sol à die natalis peruenit diebus 57. cum horis 16. qui metiuntur Annos 57. cum mensibus 8.

Directionis Solis rectæ ad parallelum Saturni cosinicum idem est Arcus Sol distat à Culmine p. 32. min. 51. totidem

dem debet distare Saturnus expleta Directione.

Plura itinera ingressus est natus potissimè versus Hispaniam, vbi aliquandiù moram gessit, vt ostendit Luna in quadrante occidentali: & Anno 44. periculum submersionis ingens euasit ex Directione Lunæ ad Parall. declin. Saturni iuxta postremas partes signi Arietis cum lat. aliqua boreali. Sol ad Aldebaram peruenerat.

Venus manebat iuxta Aldebaram in quadrato Saturni, qui Lunæ quoque infensus erat parallelo cosmico, vnde apostema decernebat in capite, cumque Luna decresceret, ad interiores partes contraxit morbum.


IX.

Iulij Cardinal Sabelli.

De oculorum, & corporis morbis ex Argolo.

Latit.
♄ 1. 4.

Declin.
♄ 17. 41.
☉ 18. 35.



Refert Argolus, quod Cardinalis ille patiebatur in oculis aliquod vel vitium, vel morbum, prauam in corpore constitutionem, & ægritudines, tandem scabiem profundam. Erat Sol cum Cauda Draconis cum obscuris Asellis, parallelo Declinationis Saturni, applicans ad eius oppositionem, & Luna in Scorpione in oppositio Martis & □ Saturni sed per Declinationem Luna iungebatur Ioui. Venus applicans ad sesquiquadratum Saturni iuxta æquinoctium Autumni, & signum Libræ in Horoscopo, quod lepram excitare solet, iuxta omnia suis locis ex Ptolemæo tradita. Obijt die 8. Iulij 1644.

Argolus dirigit Solem ad gr. 3. Libræ, quia fuerit in Horoscopo; quod non assentitur doctrinæ Ptolemæi. Igitur si producamus tempus natalis semisse ferè horæ; nam tempus hor. 11. m. 40. P. M. ab Argolo in figura expositum falsum est proculdubio; puto autem voluisse scribere hor. 21. min. 40. Concessa igitur hac temporis productione, quæ plerumque imò semper contingit ratione diuersitatis horarum Vrbium, & ab occasu Solis. Sol tempore obitus peruenit motu Directionis ad Parallelum cosmicum Saturni, cuius hæc est supputatio.

Si horaria tempora diurna Solis p. 17. min. 56. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 25. m. 45. Horaria tempora nocturna Saturni p. 17. min. 48. dabunt distantiam eius vltra Imum p. 25. 33. quæ addita cum primaria efficit Arcum Directionis p. 58. min. 54. qui æquatus more nostro dat Annos 64. ferè.

Motu conuerso Sol manebat ad Parallelum cosmicum eiusdem Saturni, quoniam horaria tempora Saturni, & Solis parum differebant inter se.

Nota in hac Genesi Lector, quod Mars obtinet domum 8. nec propterea tribuit mortem violentam; neque Luna in signo violento. Quod si Luna percutiatur à Marte in domo 8. posito, non erat lumen temporis; sed Sol, qui licet non nihil læderetur à Saturno, leuabatur à Trino Iouis finibus beneficæ, propria domo atque etiam à quadrante Vernali in mundo, & Aestiuo in Zodiaco; vniuersa enim contra frigidam Saturni naturam pugnabant.

X.

Cardinalis Vidonij
De Angina. ex Argolo.

Latit.
♄ 0.52.M.
♃ 0. 5.S.
♂ 0. 0.
♀ 0.43.M.
☿ 0.35.M.
☽ 4.52.M.

Declin.
♄ 15. 1.
♃ 22.46.
♂ 16.12.
☉ 15.51.
♀ 22.42.
☿ 15.12.
☽ 17.33.



ANno ætatis suæ 51. ex Angina decessit. Vides Lector luminarium infelicem collocationem in signo Scorpionis cum Mercurio, Marte, & declinatione Saturni; Iouem quoque infelicem, occidentalem in signo sui casus ex aduerso Horoscopi. Etiam in Decubitu authores morbi in signo Scorpionis inuenti sunt. Vide quæ iam diximus de hoc Signo. Anno 51 expleto Horoscopus vitæ moderator peruenerat ad quadratum Lunæ subsequente quadrato Mercurij Solis, & Martis, & oppositione Saturni. Sed ego censerem qood Thema natalis producendum sit non nihil vlterius: nam ad horam 8. min. 16. expositam ab Argolo, debent poni in Horoscopo gradus 9. ferè signi Can-

cri

eri vel quid amplius, itaut & Sol vna cum Marte ad Imum, & Saturnus ad occasum peruenissent; nam Luna & Mercurius latent sub radijs, vbi vires nec ad commodandum nec ad interficiendum habere posse docet Ptolemæus. Obijt die 28. Octobris 1632.

XL.

Marij Cardinalis, Theodoli
De varijs morbis ex Argolo.

1603. Septemb.
D. H. M.

Latit.
♄ 2. 7. S.
♃ 0.42. M.
♂ 0.23. S.
♀ 0.55. S.
☿ 1.26. S.
☽ 4.37. S.

Declin.
♄ 17.51.
♂ 18. 5.
☿ 9.34.
☽ 16.34.

Data hac ab Argolo figura; qui non ponit diem, neq. horam notat quoque annum 1602, cum tamen figura ad annum 1603. sit erecta; manifestum est quod Sol est vitæ moderator, qui in Annis 47. & mensib. 9. quos vixit Theodolus, peruenit ad gr. 25. Libræ in quo incidit

Parallelus declinationis Mercurij, subsequente Veneris, & quadrato Lunæ: at verò Saturnus à centro Imi officit quadrato tam in Zodiaco, quam in mundo tum Veneri, tum Mercurio, tum demum Parellelo declinationis ipsi Lunæ, quæ etiam à Parall. Declinat. Martis affligebatur dissidebant quoq. inter se Luna, & Mercur. radio sesquiquadrato, & Luna in sesquiquadrato Horoscopi erat: adeoquod rationi consentaneum sit Lunam, & Mercurium fuisse satis validos aneretas ad abscindendam vitam. Sol inhæret circulo crepusculino depressionis gr. 15. ferè. Directio Solis supputata in Horoscopo est p. 42. min. 43. cui addenda sunt nonnulla minuta ex tabella Crepusculorum: & Arcus Directionis æquatus metitur Annos 47. &c.

Refert Argolus quod Anno 1638. natus incidit in oris torturam, balbutiem, memoriæ amissionem, & melancholiam magnam. Anno 1647. in vrinæ suppressionem, & dolores ex calculis, & viscositate. Anno 1649. in paralisim sinistræ partis, & podagram. Anno 1650. die 1. Martij in Epilepsiam pluries deinde repetitam, mox in letargum, & stertorem: mense Aprilis, & Maij erat stolidus; atque tandem die 26. Iunij extinctus est. Secto cadauere Iecur erat subalbidum: Pulmones ad dorsum denigrati; in cerebri ventriculis ad duas libras aquæ.


Saturnus præ cunctis validissimus, qui imperat, & hostiliter configuratur cum Venere cum Mercurio cum Marte & cum Luna, & omnes ad Horoscopum familiares & occidentales decernebant morbum vehementem in renibus in capite, & in Hepate: cumque Iuppiter quoque peregrinus & inter maleficorum radios & dominium inueniretur; etiam in Pulmonibus prauas affectiones declarabat. Tandem omnes in signis vel communibus, vel fæcundis plures morbos. Virgo signum humanum in Horoscopo, & Mercurius ibi; atque Saturnus officiens Lunæ & Mercurio inter se hostili sesquiquadrato configuratis morbos animi infligit: Vt mirum fieri non debeat hunc natum tanta morborum varietate implicatum extitisse. Cum autem Venus exoriatur in Horoscopo cum biquintili Lunæ: non dissidet à ratione quod causam horum omnium morborum per incontinentiam exhibuerit.

Fr.

XII.

Fr. Mariæ Feltrij Vrbini Ducis
De fluxionibus
Climacterico tempore ex Argolo.

7. 44.



Latit.
♄ 0. 5. S.
♃ 1.10.M.
♂ 1.32. S.
♀ 0.57. S.
☿ 2.22.M.
☽ 4.15. S.

Declin.
♄ 21. 6.
♃ 7.12.
♂ 23.21.
☉ 7. 4.
♀ 18.31.
☿ 15.12.
☽ 19. 7.

THema natalis huius Principijs, quod ab Argolo desumpsi redactis tamen Planetarum locis ad calculum Io. Stoefleri, placuit huc transferre eo maximè vt exemplo pateat si luminaria ineant vitæ moderationem; ea non licere postponi, atque sumi vnum ex reliquis Planetis, etiamsi sit beneficus, & honorificentiorem occupet locum, fiatque gubernator vtriusque sectæ &c. iuxta vltima Ptolemæi verba capitis de electione moderatoris vitæ. Etenim in hoc natale Iuppiter habet domum & fines in loco Solis atque ad ipsum Parallelum Declinationis; in Horoscopo

exal-

exaltationem, & fines, in præcedenti nouilunio, quod in gr. 20. Aquarij celebratum fuerat, habet fines iuxta ægiptios, & radium sextilem : tandem habet domum & trigonum, & radium trianguli in loco Lunæ : Cumque honorificentiorem possideat locum quam luminaria, vtpote in culmine inuentus, ad ipsum Iouem proculdubio spectare deberet vitæ moderatio.

Verum enimuerò tempore decessus huius Principis quod Iuppirer ad maleficos, vel eorum radios appulisset quocunque calculo etiam vulgari non apparet, sed Sol vt mox videbimus, adeoquod mea sententia, non adire vitæ moderationem alium quemque nisi tantum luminaria si locum hylegialem possideant omninò vera videatur esse.

In primis ergo, pro Annis 82. & mensibus 2. Arcus Directionis est p. 76. min. 24. Nam Sol ab hora natalis Spatio dierum 82. & hor. 4 peruenit ad gr. 2. ♊ cuius Ascensio recta est p. 59. min. 53. Ascensio recta Solis est p. 343. min. 29. quæ detracta ab illa adito ei prius integro circulo, remanet Arcus Directionis p. 76. m. 24. Eleuatio Poli Ptolemaica super circulum Solis est p. 15. ferè. Ascensio obliqua opposit Solis ididem est p. 161. min 34. cui addito Arcu Directionis fit summa p. 237. min. 58. respondens ad gr. 25. min. o. signi Scorpionis, itaut Sol maneret in gr. 25. signi Tauri ad quadratum Mercurij ad Parall. declin. Lunæ, & ad trinum Saturni iuxta Pleiades ad vnguem.


Interim idem Sol incidit in Parallelum cosmicum Saturni. Nam si Solis horaria tempora diurna p. 13. min. 53. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 24. min. 19. horaria tempora nocturna Saturni p. 18. min. 32. dabunt distantiam secundariam ab Imo p. 32. m. 51. quæ dempta à primaria, quæ est p. 109. min. 24. remanet Arcus Directionis p. 76. m. 33.

Cæterum vides lector quod Saturnus in occasu ex aduerso Horoscopi, & Luna in 6. domo atque Mercurius in dignitate Saturni in 8. domo demonstrant humorum fluxiones, & Pleiades in loco Directionis Solis idipsum adaugent; Mercurius in 8. Domo animi pregraues afflictiones. Iupiter in Culmine in signo vniformi vnicum filium, sed quoniam occidentalis, & læsus quadrato Saturni orientalis minimè diuturnum declarat. Fuit

Fuit Annus climactericus ad vnguem; nam die 82. expleta cum 4. horis post natalem Luna inuenta est in gr. 24. Sagittarij, loco scilicet suo natalis. Obijt die 28. Aprilis 1631. ætat. anno 82. & men. 2.

XIII.

Tiberij de Titis Patris mei qui Cordis palpitationem patiebatur.



Cordis palpitationem patiebatur, quod retulit mihi Cecila eius vxor mater mea: itaut in parte sinistra iacens somnum capere non posset; vnde censeo ego ex affectione sinistre alæ Pulmonum, vt ex habitu Iouis in Horoscopo parum felici colligitur. Obijt die 14. Iulij 1603. ætatis suæ anno 38. & mensibus 4. cum dimidio ex febre, quæ tribus diebus antea eum inuaserat, statimque sermone pri-

priuauit, ex directione Horoscopi vitæ moderatoris ad sesquiquadratum Martis, subsequente sesquiq. Lunæ & Veneris, semiquad. Saturni, & oppositione Mercurij. Vides quod habuit signum Leonis imò fixam regiam cordis in Horoscopo, & Lunam Venerem & Martem in 6. domo sub oppositione Saturni in Leone inuenti, cum Sol ad eorum parallelum cosmicũ properaret manens in 8. domo luminare temporis, vt propterea non superuixisset ad annos, nisi in Horoscopo fuisset repertus Iuppiter, qui cum retrocederet in signo sui detrimenti modicam vitam, & exilem corporis contexturam exhibuit. Erat vir eximia probitate commendatus, & ingenio clarus. Duos filios habuit alium scilicet quoque me priorem, qui duobus annis tantũ vixit, ipse verò posthumus qui cordis aliquas affectiones, & censeo etiam Pulmonum in sinistro latere hæreditario iure possideo, vt mirum mihi videatur ad 61. annum peruenisse, ex quo gratias continenter ago Summo Deo bonorum omnium largitori O.M.

Notandum verò in hoc natale, quod Luna digreditur in magnam latitudinem Septentrionalem; & Saturnus item habet latitud. Septent. vnde fit vt eorum oppositio non sit æquicruria: cuius causa minus malum attulit. poterat enim vereri de violentia ob propinquitatem etiam Martis: item Luna iungebat suam Declinationem Declinationi Iouis, vno enim tantum gradu differebat, quod valde refert. Tandem Luna, Venus Saturnus atque Mars ab angulis ceciderant; quo sua significata tenuia decernebant.

XIV.

Angeli Cesij Episcopi Ariminensis De morbo diuturno cum varijs Symptomatibus ex Argolo.

REfert Argolus, quod hic Præsul ægrotauit die 31. Iulij 1646. hor. 3. circiter post merid. ex febre cum rigore, quæ subsequuta fuit tertiana duplex: Quarta accessio fuit grauior vsque ad xi. in qua inualuit & cum affectu gulæ ex vlceribus annatis. In 14. subleuatus aliquãtulum: Sed in exordio accessionum aderat somnolentia in 30. apparuit melioramentum, sed febris perseuerabat in eodem



dem statu. in 39. vomitus, & inappetentia, & ægrotus dixit mortuus sum. Die 41. stupidus in motu, applicata vesicatoria, & facta inuxtio in capite. Die 43. quæ fuit 13. Septembris conuulsiones in labijs, ore, oculis, & accidens apopleticum magna copia flegmatis ex ore exeunte eadem die moritur. Ætatis suæ 54. nondum expleto.

Horoscopus fuit vitæ moderator, qui in Annis. 54. peruenit ad corpus Saturni. Nam Ascensio obliqua Saturni est p. 99. min. 50. a qua detracta ascensione Horoscopi; remanet arcus Directionis p. 55. min. 55. qui æquatus more nostro dat annos 54.

Cæterum Saturnus erat validus anereta, quoniam radio quadrato percutiebat vtrumque luminare; adeout nisi Iuppiter in proprio carpento consistens eleuaretur ab angulo

 occi-

occidentis super ipsum Saturnum de radio biquintili in Zodiaco, & Trigono cosmico timeri poterat de violento exitu in aquis, vel à feris, aiceidebat enim Saturnus cum asellis: & Luna lumen temporis erat in Ariete sub quadrato Saturni tam in Zodiaco, quam in mundo. Cumque Saturnus possideret signum fœcundum omnibus cæteris planetis configuratus attulit morbum cum multiplici varietate Symptomatum.

Vides lector quod morbus cum esset chronicus & grauis habuit finem vbi Sol peragrasset primum quaternionem, idest signum vnum cum dimidio.

XV.

Odoardi Ducis Parmæ & Placent. &c. De Ventriculi affectione ex Argolo.

ANno ætatis suæ 33. & mens. 4. nimirum 1646. die 11. Septemb. vitalem hanc auram dimisit hic Princeps; & aperto corpore repertum est Omentum discissum; nam Luna, quæ ventriculo præest versabatur in Parallelis tum Declinationis, tum cosmicis maleficorum; atq. tunc temporis peruenerat Directionis motu ad quadratum Martis in p. 11. min. 49. signi Geminorum, vbi obtinuit latitudinem Septentr. p. 0. min. 47. iuxta Aldebaram cum præcessisset coniunctio Veneris, quæ fortasse occasionem alicuius incontinentiæ poterat afferre.

Calculus Directionis Lunæ assentitur in Circulo Crepusculino; cuius causa maximè placuit exemplum hoc exponere, quo Professores obseruare non desistant quoties Luna inueniatur in spatio Crepusculorum: Verú tamen censeo quod Luna non afferat lucem crepusculi ad totum spatium gr. 18. depressionis, sicut Sol, sed non nihil minus, quoniam lux Lunæ debilior est luce Solis: sed hoc ab experimentis docebimur vbi meminisse oportet, quod varietas quantitatis lucis Lunæ proculdubio varietatem allatura sit; cum verò Luna progrediatur in latum, exemplum hoc demonstrabit modum supputandi, qui peritis satis erit.

Lunæ Declinatio est p. 1. m. 57 merid. quæ respondet in Ecliptica ad gr. 25. Piscium. Locis Directionis Decli-

na-



Latit.
♄ 1. 7. M.
☽ 4. 14. M.

natio est p. 23. min. 6. quæ respondet ad gr. 20. Geminorum Eclipticæ.

Nunc iuxta Canonem 20. nostri Primi Mob. primo supputo Directionem per Ascensiones obliquas ad eleuationem Poli regionis. Ascensio obliqua Lunæ est p. 8. m. 2. Gradus verò 11. m. 49. Geminorum cum latit. boreali p. 0. m. 47. ascens. obliq. est p. 45. m. 55. & remanet Arcus Directionis p. 37. m. 53. supputatus in Horoscopo. Deinde requiro distantiam Lunæ ab ortu quæ est p. 13. m. 56. in corpore tabulæ Crepusculorum ad Polum. gr. 44. sub. gr. 25. Piscium quibus refertur Declinatio Lunæ, & inuenio ad Parallelum Crepusculi gr. 10. depressionis, ad quem eumdem, & sub gr. 20. Geminorum accipio gr. 18. m. 7. è quibus detraho gr. 13. m. 56. & remanet differencia ortiua p. 4. min. 11.

Cum verò maior sit distantia loci occurrentis detraho hanc differentiam ab Arcu Directionis supra accepto idest à p. 37. m. 53. & remanet verus Arcus Directionis quesitus p. 33. m. 42. qui æquatus more nostro dat Annos 33. & menses 4.

Ex hoc natale si velimus describere figuram patris, cum sit nocturnus, ponendus est Saturnus in centro orientis, à quo tamen parumper distat, & minus, quam duobus gradibus Æquatoris. Erat autem Saturnus orientalis in centro cardinis, Sol verò cum Mercurio, qui ad ipsum Solem veloci motu applicabat, Sol verò ad sextilem Martis, & ad quadratum, atque ad Parallelum Declinationis Iouis, insuper, & trinum cosmicum, Luna applicabat ad sextilem Veneris, & trinum Iouis, quibus parentum claritas manifestatur. Quoad vitam patris cum Mars iungeretur Saturno in cardine, breuem vitam declarabat; erat autem Luna vitæ moderatrix, quæ in annis decem peruenerat ad gradum 24. Arietis cum latit. merid. gr. 3. ibique offendit ad Parallelum declinationis Saturni, cuius supputationem studio lectoris relinquo efficiendam eodem modo, quo supra.

Verum dices etiam in filio Luna erat vitæ moderatrix. Ad quod respondeo: Stante Saturno cum Marte quo patri vita breuis promittebatur, vbi primum Luna vitæ moderatrix ad Saturni familiaritatem peruenit ipsum patrem necauit ex diuturno morbo Hydropis; vt ostendit collocatio ☽ & ♄ in quartis frigidis: aut verò in filio Saturnus cum Marte non habet significationem pertinentem ad vitam; deinde in sene grauior est quam in adolescente occursus Lunæ ad Saturni parallelum; & accidisse etiam possibile est, quod tūc temporis etiam filius ægrè se habuerit, quod mihi quidem non constat.

XVI.

Andreæ Cornelij Nobilis Senatoris Veneti.
Ex affectionibus Pulmonum.

IN hoc natali Mars ratione latitudinis meridionalis ponitur præcisè in linea Horoscopi: Luna ex occidentali cardine in quadrato Iouis infelicis multipliciter, vt quia

264 48:



Latit.
♄ 0.20.M.
♃ 0.21.S.
♂ 4. 6.M.
♀ 0.53.M.
☿ 2.52.M.
☽ 3.45.S.

Declin.
♄ 20.16.
♃ 22.38.
♂ 11.23.
☉ 22.50.
♀ 17.27.
☿ 20.34.
☽ 3.35.

cadit ab altitudine, retrocedit, & sub declinatione Saturni. Item Horoscopus cum sesquiquadrato Saturni, & præsentia Martis: Quare omnes moderatores infeliciter se habentes cum testimonio Iouis praue affecti, proculdubio Pulmonum morbosas affectiones declarabant, maximè quod omnes ferè in habitu occidentali inueniebantur. Latuit morbus eousque quo Luna appulit ad quadratum Martis cosmicum, cum præcessisset quadratus radiis eiusdem ad Lunam in Zodiaco, quem natus euasit causa ibi trigoni Veneris, atque finium beneficorum. Motu verò conuerso Luna ad sesquiquadratum eiusdem Martis, atque ad corpus Saturni quam proximè applicabat. Supputatio quadrati cosmici talis est.

Differentia ascensionali	p. 11. m.	35.	Diff.as.p. 3. 36.
Arcus Semid.	p. 78.	25.	Arc.sem. p. 86.24.
Ascensio recta.	p.343.	29.	As.rec. p.197.58.
Dist.à Culm. prim.	p. 78.	41.	Dist.ab oc.p. 19.33

Nunc si Arcus semidiurnus Lunæ p. 86. m. 24. dat eiusdem distantiam ab occasu p. 19. m. 34. Arcus semid. Martis p. 78. min. 25. dabit distantiam Martis secundariam à Culmine p. 17. m. 46. quæ detracta à primaria relinquit Arcum Directionis p. 60. m. 55. quem pro æquatione addo ad Asc. rectam Solis, quæ est p. 104. min. 40. & efficio summam p. 165. min. 35. respondentem ad gr. 14. m. 19. signi Virginis ad quem Sol à die natalis peruenit diebus 63. qui totidem annos metiuntur.

Morbus incepit mense Martij 1656. cum febre, & difficultate respirationis: accito plurimorum medicorum collegio, dissentiebant de qualitate morbi; certum autem est quod exordium habuit ex causa mixta, nimirum ex vehementi fluxione, & concursu vtriusque Bilis: vnde aderat inflammatio & tonsio in Pulmonibus, & ad totius sanguinis massam affectio morbosa fuerat deuoluta, ex quo sine dubio tanquam à primo fonte diffluebat: hinc apparuere etiam exantemata nigra maximè in testibus ob situm Lunæ in 7. in signo Libræ, & Veneris in 6. Quare desperata tandem salute die 28. Maij æger extinctus est. Vir nobilissimus, & ditissimus.

XVII.

Marci Ant. Caccini Romani Episcopi Imolensis, E scabie, & Hepatis affectionibus.

ANno ætatis suæ 64. nondum expleto laborare cœpit molesta scabie: adijt Patauium ad sumendas aquas minerales, quæ nihil profuere: tandem circa initium Augusti anni 1650. incidit in febrim cum vehementi Hepatis calore, & siti, atq. die 15. Augusti cessit è vita, Vir probatissimus, & omni virtutum genere, tum eruditione ornatissimus.

Hepatis affectiones declarabat situs Veneris in culmine ad



Latit.

♄ 2. 34. M.
♃ 1. 34. M.
♂ 0. 9. M.
♀ 2. 16. S.
☿ 0. 51. S.
☽ 1. 38. S.

Declin.

♄ 2. 32.
♃ 19. 33.
♂ 23. 35.
☉ 22. 29.
♀ 10. 49.
☿ 18. 41.
☽ 16. 58.

ad Horoſcopum quadrato in ſigno ſui detrimenti, & in tetragono Martis coſmico, qui angulum Horoſcopi poſſidebat. Cum ergo euaſiſſet à quadrato Martis coſmico ad Horoſcopum vitæ moderatorem, vbi peruenit Saturnus ad eumdem Horoſcopum excitauit humoris ſalſi copiam, Scabiem diuturnam & demum necauit.

Supputatio Directionis Horoſcopi ad Saturnum facilis eſt & arcus Directionis eſt p. 69. m. 46. ferè qui æquatus more noſtro dat annos 64. & menſes 10. Die obitus 15. Auguſti 1650. Saturnus inuentus eſt in gr. 10. ſigni ♋ in quadrato videlicet Horoſcopi ab Imo expleta Directione: cum aliquot ante dies Mars quóque ibidem inueniretur.

Guido


XVIII.

Guido Cardinalis Bentinoglio
De macie & praua stomachi affectione ex Argolo.

III. 11.

Latit.
♄ 0.24. S.
♂ 0.28. S.
☽ 3.55. S.

Declin.
♄ 22.50.
♂ 2.29.
☽ 19.20.



Mars in Cardine orientis eleuatus Parallelo cosmico super Venerem, & Iouem; atque Luna in signo Leonis iuxta Basiliscū applicans ad Parallelum cosmicum Saturni cuius etiam non admodum differentem habet declinationē, declarabat qualitatem paruam, & mixtam reperiri in internis partibus: Cumq. Luna deficeret lumine, & nocturnum esset tempus caliditas fuit moderata, vt occursus Martis ad Lunam non interficeret, quod sæpe vidi; tum potissimè quod locus occursus incidit inter fines Veneris, & Iouis, non longè à spica Virginis; tandem Luna in congressu cum Marte incedebat per latitudinem meridionalem

Mars

Mars verò per Septentrionalem, iuxta vniuersam Ptolemæi doctrinam cap. de moderanda vita. Cum verò Luna peruenit ad quadratum cosmicum Saturni obijt natus 1644. die 1. Septemb. ætatis suæ anno 66. & mensibus 10. expletis ex macie, & stomachi affectione vt refert Argolus; sed ego censeo ex affectione internarum partium nempe Hepatis, & Pulmonũ, quoniam Iuppiter & Venus lædundtur non tantum à Marte, vt diximus verum etiam à cauda Draconis, & quadrato Saturni. Supputatio Directionis Lunæ ad eius quadratum cosmicum talis est.

Si horaria tempora Lunæ p. 18. m. 18. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 30. m. 12. nam Asc. recta Lunæ est p. 141. m. 23. Horaria tempora Saturni p. 19. 0. dant distantiam secundariam Saturni ab Horoscopo p. 31. min. 21. quæ detracta à primaria quæ est p. 102. m. 22 relinquit Arcũ Directionis p. 71. m. 1. qui æquatus more nostro dat Annos 67. ferè.

Motu conuerso Luna applicabat ad sesquiquadratum Martis. Primò dirigo Lunam ad eius quadratum. Si horaria tempora noct. Martis p. 16. m. 23. dant eius distantiam ab ortu p. 8. m. 24. horaria tempora Lunæ p. 18. m. 18. dabunt eius distantiam secundariam à Culmine p. 9. m. 23. quæ detracta à primaria relinquit arcum Directionis ad quadratum p. 20. m. 49. cui addo ter horaria tempora Lunæ & efficio summam p. 75. m. 43. itaut non longe abesset Luna à sesquiquadrato Martis motu conuerso.

XIX.


Francisci Guerini
De Apostemate in pectore.

Vir iste patruus vxoris patruelis mei viuens adhuc & robusta valetudine prudentia & sagacitate in rebus agendis mira præditus ad publicos Ciuitatis honores id circo sæpe vocatus.

Anno ætatis suæ 34. mense Octobris Apostema in pectore passus est, quod in fistulam conuersum grauem afferebat molestiam: tandem post multos menses purgato corpore, & adhibito ad partem mortificante, præter spem extemplo euanuit.

Latit.
♄ 1.16.M.
♃ 0.48.M.
♂ 1.45. S;
♀ 0. 0:
☿ 0. 0.
☽ 1.43.M.

Declin.
♂ 22.15.
☽ 21. 7.



Vides Lector quod Luna luminare temporis ad Martem & eius Parallelum declinationis manebat, cum Mars occidentalis officeret Veneri quadrato cosmico, & vterque in sesquiquadrato ad Cardines ponerentur. Accidit autem Anno 34. quando Mars peruenit ad Imum, idest ad proijciendum radium quadratum in Horoscopum, quo tempore Venus vix emergebat ab Horoscopo. Partem corporis læsam signum Cancri in quo Luna, & Mars fuerant ostendebat, nimirum pectus, & Luna aucta lumine externam, non internam. Erupit morbus Autumno iuxta suam naturam, & quoniam Saturnus in Horoscopo bilem atram exsuscitat, quę in Autumno potissimum augetur; & in effectibus ostenditur, Euanuit morbus, quia Iuppiter, & Venus è suis dignitatibus & orientales fauebant Lunæ longe robustiores &, elleuati quam ipse Mars qui occidentales, & cadens ab altitudine.

Leg

XX.

Lelij Cardinalis Biscia

De Erysipelate, & Fistula ex Argolo.

305.58.

1575. Iunij.
D. H. M.
13. 14.18. P.M.

Latit.	
♄	1.32.S.
♃	0. 6.S.
♂	0. 7.S.
♀	1.26.S.
☿	1. 8.M

Declin.	
♄	21.12.
♃	22.30.
♂	23.20.
☉	23.31.
♀	21.50.
☿	21.33.

IN hoc themate ad horam 14. m. 23. P. M. quam exponit Argolus debent poni in Horoscopo grad. 28. signi Tauri cum aliquot minutis: nos ponimus gr. 26. m. 27. ♉. cuius ascensio obliqua est p. 35. m. 58. ascensio obliq. Solis est p. 98. m. 53. à qua dempta illa relinquit arcum directionis Horoscopi ad Solem p. 62. m. 55. qui æquatus more nostro dat Annos 63. cum dimidio ferè. Quod verò sol potuisset fieri ancreta, patet ex eius coniunctione cum Marte in puncto Iropico in quo cum Marte communicat etiam ex parallelo declinationis, itaut Sol induat Martis naturam qui præterea succedit corpore.

Saturnus eleuatus erat super Venerem, & Mercurium ex parallelo declinationis: quare Saturnus in occasu declarabat apostemata in renibus, & Mercurius in Horoscopo à signo aereo, solet afferre sinus & cauitates. Venus humoris putridi succrescentiam. Quibus dum superueniunt Martis qualitates, superaddunt aestum erysipelatis. Obijt anno ætatis suæ 63. & mens. 5.

Argolus notat natalem ad diem 15. sed figura erecta est ad diem 13. puto fuisse errorem typographi.

XXI.


Francisci Mariæ Cardinalis Farnesij De intestinorum affectione Climaterico tempore ex Argolo.

IN hoc natali Luna ad Martem properat in eius parallelo Declinationis constituta in signo Libræ, quod intestinis dominatur, applicans ad sesquiquadratum Saturni tam in Zodiaco, quam in mundo, cum discederet à quadrato Veneris, quæ à Saturni declinatione affligebatur: erant autem Luna & Mars in Imo in quadrato scilicet Horoscopi.

Anno 28. Mars peruenit ad Imum videlicet Horoscopus ad eius quadratum; fuit ergo morbus biliosus calidus, & qualitate mordaci prædictus. Argolus dirigit Horoscopum ad sextilem Saturni in Zodiaco.

Fuit Annus climactericus, nam Luna die 28. ab hora natalis redie. at ad suum locum, & fuit dies 11. Mensis Septembris eiusdem Anni 1619.

Obijt die 12. Iulij 1647. cum laborasset mensibus 6. continuis ventris torminibus ex bile, & pituita: morbus fuit diuturnus causa sesquiquadrati ♄ ad Lunam.



Latit.
♄ 1.54.M.
♂ 0.21.M.
☽ 4.48.M.
♀ 0.20.M.

Declin.
♄ 21.15.
♂ 13.34.
☽ 15.24.
♀ 21.14.

XXII.

Io. Franc. Cardin. de Balneo
De Dysenteria ex Argolo.

Dysenteria, qua diutius laborauit obijt Anno ætatis suę 62. & mens. 11. pro quibus Arcus Directionis æquatus est p. 64. m. 27. Ascensio obliqua Solis, qui est vitæ moderator, est p. 206. min. 14. cui addito Arcu Directionis, efficitur summa p. 270. min. 41. quæ ascensio obliqua respondet ad gr. 10. signi Sagittarij, nimirum sub Parallelo Declinationis Saturni, cum præcessisset coniunctio Veneris, & eius Parallelus Decl. coniunctio Lunæ, atq. Cor Scorpij quam proximè.

Luna congrediebatur cum Antare etiam per latum; Venus infeliciter se habebat in suo detrimento in domo Mar-

Latit.
♄ o. 8. M.
♀ 1. 8. M.
☽ 4.42. M.



Martis, & eius sesquiquadrato, cuius calore liquatu e Veneris frigida humiditas ad dijsenteriam promouendam; Mars enim erat in domo 6. morborum. Non produxit vrinæ impedimentum hæc constitutio, quoniam ad hunc morbum requiritur concursus Saturni vel ad Martem vel ad Venerem vel ad vtrumque vel si ad eorum alterum, etiam ad vitæ moderatorem: obstruere quippe proprium est Saturni Mars per accidens obstruit, nimirum tumore, & inflamatione partium. Opus igitur vniuersa prudenter contemplari, & proprias deducere significationes. Si Mars inueniat materiam calidam obstruit inflammatione, & tumore; si verò frigidam, & humidam liquat &c.
Obijt die 24. Iulij 1641.

XXIII.
Armandi Cardinal Richelieu.
De intestinorum Affectione ex Argolo.



AD Stellas fixas Argolus refert conspicuum fructum ingenij huius viri non reijciens luminarium collocationem; cum tamen Ptolemæus cap. 2. lib. 4. nec verbum quidem habeat de fixis. Non inficior ipse, neque missas facio antiquorum traditiones: nam sicut satellitium errantium efficax est, ita fixarum quoq. satellitium plurimum præstabit: cum hac tamen differentia, quod errantium satellitium de se solo valeat dato luminaribus conspicuo loco; quod si hæc absint, fixæ vel nihil vel vmbram, vel non diuturnum effectum ostendunt; vnde profluit illud cito parta, cito dilabuntur: proprium enim fixarum est ex-

templo

templo improuisos effectus ad lucem emittere, & eos mox cuaturos relinquere, quod non cum præuia qualitaum sufficienti dispositione produxerint.

In hoc verò natali relucet Ptolemæi doctrina loc. cit. qui cum asserat vbi Mercurius præsit satellitio luminarium, ingenio industria, & eruditione suos effectus ostendat. Mercurius hic in carpento suarum dignitatum positus orientalis dominus signi Solis, & Culminis, & ad Lunam è diametro, & sub eodem Declinationis Parallelo, ingenio, & eruditione profuit.

Item extinctionem huius clarissimi viri Argolus refert ad congressum Solis cum Lance austrina; quæ Stella non videtur de se sola id potuisse.

Ego censeo debere produci tempus natalis tertia ferè horæ parte, tunc verò Sol incidit in parallelum cosmicum Saturni, qui naturam effectus secundum proprietates exprimit: nam intestinorum prauas affectiones decernebant Sol, & Mercurius in signo Virginis sub Parallelo Declinationis Saturni collocati. Supputatio Directionis Solis hæc est.

Si horaria tempora Solis p. 16. m. 1. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 12. m. 17. Horaria tempora Saturni nocturna p. 14. m. 8. dabunt distantiam eius secundariam ab Imo p. 10. min. 50. quæ iuncta cum primaria, quia Saturnus transit Imum; Asc. recta ♄ est p. 17. m. 26. distantia verò primaria Saturni est p. 42. m. 18. efficit Arcum Directio. p. 53. m. 8. qui æquatus more nostro dat Annos 57. & mens. 3.

Quoniam verò Declinationes Solis & Saturni parum inter se differunt, sequitur inde quod Sol conuerso motu Directionis maneret tempore obitus ad Parallelum cosmicum eiusdem Saturni. nam si horaria tempora Saturni p. 14. m. 8. dant eiusdem distantiam ab Imo p. 42. min. 18. Horaria tempora Solis p. 16. min. 1, parum amplius dabũt distantiæ, itaut Sol applicaret non longè &c.

Non videtur autem hæc figuræ productio à rei veritate aliena; nam præcesserat plenilunium in gr. 16. signi ♓ triplicitatis Martis, & cũ eius sesquiquadrato; ponitur antè Mars in sextile Culminis à centro dem. 12. Obijt die 4 Deceb. 1642.

N.

XXIV.

M. N. *Cuiusdam Monachi Florentini Luxati.*



Hic liber omninò, & formosa specie atq. pulchra natus est Anno ætatis suæ 19. incidit in morbum dinturnum ex humorum defluxu, quibus tandem artuum contractione luxatus g bbus apparuit, & dentes lab.js ægrè tegere poterat maxime Superioris mandibuli, quod foras magis quam inferiores exponebantur: alias ingenio clarus, & eru ditus.


Luna sub radijs Solis in Leone iuxta Caudam Draconis, & maleficæ in 6. domo; in Horoscopo signum Tauri cum Pleiadibus, & Cete ostendebant morbum, & deformitatem. Vbi igitur Saturnus descendes positus est in sesquiquadrato Horoscopi, subsequente quadrato Lunæ ab imo, suscitauit morbum, & reliquit vitium cum deformitate: eodem tempore ad Horosco-

Ec pum

Pum peruenit Aldebaram: Et Sol ad Caudam Draconis iuxta fines maleficorum.

Verum dicet aliquis malefici sunt occidentales, igitur morbum tantum, non vitium videntur declarare: sed cauendum quod erga Solem quidem occidentales sunt, sed in mundo Sol Luna Mars, & Saturnus possident quadrantem orientalem, ideoq. & morbum, & vitium decernebant, Luna orientalis est à Sole.

Vide lector in nostro primo mobile genesim Bartolomæi Massari, qui luxatus in pedibus natus est; quoniam Luna, & Saturnus possidebant angulos Horizontis; in hoc autem casu post aliqua tempora factus est gibbus quia auctores vitij non possidebant cardines finitoris.



XXV.

Ruberti Cardin. Vbaldini
De calculo e Argolo.

IN hoc natale certum est quod Venus læditur à Saturno quadrato radio cosmico exquisito: nam posito gradu 17. Capricorni in Horoscopo, in quo gradu erat Saturnus, in Culmine ponitur grad. 13. Scorpionis, in quo Venus erat autem ipsa Venus in Scorpione signo sui detrimenti, quod inituetur renes & vesicam. Mars ob latitudinem meridionalem oritur cum grad. 17. signi Arietis, quare cum quadrato Saturni in zodiaco. Anno igitur 57. Horoscopus perueneerat ad Martem, & fuit ibi Mars in occubitu; ne scilicet de hoc vereamur. Die 57. post natalem Venus inuenta est cum Saturno coniuncta exquisitè, & Luna in quadrato Martis, & Mars in decessu fuit in eodem loco huiusmodi autem consensus sæpissimè vidi.

Obijt die 22. Aprilis 1635.

Fran



latit.
♄ 1.42 S.
♂ 5. 6 M.

XXVI.

Francisci Vitelly Archiepiscopi Vrbinatis De podagra fluxionibus, & vrina impedimento Ex Argolo.

IN hoc natale Luna ponitur sub Parallelo Declinationis Mercurii, atq. etiam Saturni, sub cuius exquisitè; item Luna in Zodiaco cum trino Martis, sed in mundo cum eius quadrato. Sol in signo Virginis inter oppositionem Saturni, & quadratum Martis potissimè in mundo. Luna in posterioribus Aquarij partibus, & Sol Virginis, & Mars Geminorum: Luna & Saturnus in signis quæ præsunt pedibus, & tibijs: Item luna & Saturnus apud 12. domum, quæ humeris præest. Quare mirum non est si natus podagra & fluxionibus ad brachia, & humeros vt refert Argolus affli-

Latit.
♄ 1.28.M.
☽ 3.39.S.

Declin.
♄ 10.28.
☽ 10.13.



gebatur. Venus cum inueniretur in Leone in habitu matutino iungebat ſe ad Parallelum coſmicum Martis, qui cum ſtraret ad quadratum coſmicum Saturni, etiam apud renes morboſas affectiones oſtendebat Quibus omnibus additur collocatio Solis, & Mercurij retrocedentis in domo ſexta ægritudinum.

Anno ætatis 63. & ſemiſſe Horoſcopus peruenit ad ſynodum Martis præcedente quadrato Lunæ & ſequēte quadrato Saturni à centro Culminis. Arcus Directionis noſtro more æquatus eſt p. 59. min. 31.


Obijt die 26. Februarij 1646.



Lude-

XXVII.

Ludouici Oddi Monachi Patauini Claudi.



ANno 64. decidit è curru, quo vehebatur & fregit crus tibiæ sinistræ ex directione Horoscopi ad oppositum Saturni, cum præcessisset coniunctio Lunæ à signis mobilibus, erat autem Luna in Piscibus, qui pedibus dominantur, cum cauda Draconis inter maleficorum radios hostiles cum Declinatione ♄ fere partili quo significabatur claudicatio, nam insignis læsio superfuit in crure sinistro.

Anno 87. suæ ætatis expleto, & mensibus 4. scilicet die 24. Nouembris decidit è scala & percussit dorsum, quod postea doluit, & febrim iniecit qua tandem die 9. Decemb. occubuit. Sol vitæ moderator tunc temporis ad proprium

tetragonum cosmicum peruenerat; cuius Directionis hæc est supputatio.

Si horaria tempora diurna Solis p. 17. m. 44. dant eiusdem distantiam ab occasu p. 27. m. 46. Horaria tempora nocturna eiusdem p. 12. m. 16. dabunt distantiam eiusdem secundariam ab Imo p. 19. min. 13. At verò distantia Solis ab Imò est p. 101. m. 31. nam ascensio recta Solis est p. 159. m. 54. dempta igitur distantia secundaria à primaria relinquit Arcum Directionis p. 82. m. 18. Hunc Arcum pro æquatione addo ad Ascensionem rectam Solis, & efficio summam p. 222. m. 12. respondentem ad gr. 14. m. 40. signi Scorpionis, ad quem gradum Sol peruenit diebus 88. scilicè, qui tot Annos indicant: sed re vera effectus nonnihil antecessit, quoniam vt censeo, idem Sol peruenerat ad Parallelum cosmicum Saturni, cuius hæc est computatio.

Si horaria tempora diurna Solis p. 17. m. 44. dant eiusdem distantiam ab occasu p. 27. m. 46. Horaria tempora Saturni nocturna p. 15. m. 4. dant eiusdem distantiam secundariam ab occasu infra terram p. 23. m. 37. quæ iuncta cum distantia primaria supra terram efficit Arcum Directionis p. 81. m. 28. vno ferè gradu minorem superiori directione.

Notabiles igitur casus passus est natus ob situm Lunæ infelicem, & Saturni officientis in 8. domo, atque Martis in 6. Vbi notandum quod non apparuit claudus à natiuitate, quoniam Luna & malefici non occupabant Horizontem, sed factus est post multos Annos iuxta eorum à Cardinibus distantiam.

XXVIII.

Pompei Durantij nobilis Fanensis Suffocati naufragio.

HVic adolescenti fuerat prædictum ab Adriano Negusantio ipsum fore mergendum pelago, eo quia Luna in Piscibus signo aqueo læsa inueniretur ab oppositione Saturni secundum figuram æquicurtiam, & Parallelo declinationis Martis, vna cum quadrato cosmico Mercurij Saturni naturam induti, qui obnoxium consilium suggere-



Latit.
♄ 2.16.S.
♃ 1.35.S.
♂ 2. 9.M
♀ 1.50.M
☿ 1, 6.M
☽ 2.56.M

Declin.
♄ 4.43.

re potuit. Cum enim anno 13. ferè ingressus fuisset Collegium Seminarij clericorum. Inde postea egressus, & deposito habitu ad bellum pergit Dalmatiam versus cum aliquot sociis. Anno 1645. mense Decembris dum ad patriam redire statuit ingressus nauem iuxta Sebenicum naufragio vndis Maris suffocatus, & sepultus est. Luna tunc temporis appulit ad coniunctionem Martis etiam per latum; quamuis re vera deficiant aliquot minuta; sed siue causa parallaxis, siue varietatis calculi Lunæ & Martis; effectus anteuertit; applicabat quoque Luna ad Parallelum Declinationis ♄. Et nonne poterat hic si voluisset, euadere?

Dico nunc quod si constitutionem natalis huius adolescentis cognouissem, nunquam secum nauem fuissem ingressus.

Iacobi

XXIX.

Iacobi Ranzati Ciuis Veneti
Violentus insultu.
Climaterico tempore.

145 42.

Latit.
♄ 2. 0. M.
♂ 1. 3. M.
☽ 3.46. S.

Declin.
♄ 20. 12.
♂ 15. 49.
☽ 19. 42.
☼ 19. 45.

1589. Iulij.
D. H. M.
25. 18. - Ital.

♎ 24.
♍ 27.
♀ 19.20.
☿ 27.
♌ 23.20.
☉ 3.
♌ 23.20.
☋ 2. 9.
♀ 1.21.
♋ 17.
♊ 12.
♄ 11. 9.
♈ 12. 2.
♓ 27.
♉ 23.
♒ 23.20.
☋ 23.20.
♐ 17.
☽ 4.
♏ 12.
♂ 13. 2.
♐ 9.52.
45

ADuocati munere, aiunt fungebatur, & Anno ætatis suæ expleto 61. idest 1650. mense Septemb. die 10. hor 15. Stylo ferreo perfossus statim occubuit: Quare verisimile est quod circa nobiliores corporis partes fuisset vulneratus quas ostendit Sol in Leone, & nona domo.

Sol luminare temporis, & vitæ moderator positus erat sub Parallelo Declinationis Saturni, imò etiam Luna; & Saturnus octauam Domum possidebat: applicabat quoque Sol ad □ Martis in Zodiaco, & in mundo; cum teneret Mars lineam orientis, & ascenderet cum lancibus, Saturnus

aus verò descenderet cum Syrio. Venus iuncta Soli non erat sufficiens hanc significationem euertere, quia sola contra plures longè robustiores.

Anno ætatis prædicto sol motu Directionis recto offendit Parallelum cosmicum Martis: cuius hæc est supputatio. Si Horaria tempora Solis p. 18. m. 31. dant eiusdem distantiam à Culmine p. 21. m. 17. Horaria tempora Martis p. 16. m. 16. exhibent distantiam eiusdem secundariam à Culmine p. 15. m. 46. quæ detracta à primaria, quæ est p. 71. m. 25. nam ascensio recta Martis est p. 217. min. 7. relinquit Arcum directionis p. 55. m. 39. Quem pro æquatione addo ad ascensionem rectam Solis quæ est p. 124. m. 25. & efficio summam p. 180. m. 4. respondentem ad grad. 1. ♎ ad quem Sol à die natalis peruenit diebus 61. qui totidem annos metiuntur.

Sol motu conuerso peruenerat ad Saturnum duobus Annis prius ferè, quam Directionem poterit quilibet supputare per ascensionem obliquam oppositam ad Polum Saturni, qui est altitudinis p. 34. non necauit propter radios Iouis, & Mercurij, vel quia expectabat consensum Directionis rectæ: potuit forsitan suscitare simultates.

Fuit Annus climactericus, quoniam Luna die 61. à natali expleta peruenerat ad grad. 5. Arietis, ad proprium videlicet quadratum à suo loco natalis.

XXX.

Mulieris cuiusdam Patauinæ pregnantis

De miserando casu.

DVM Patauij degerem ab amicis professoribus exhibita mihi fuit hæc natalitia constitutio cuiusdam mulieris de qua res cognitu digna narratur, sed miseranda. Duæ sorores ambæ eodem tempore nuptæ, earum quæ prior pareret amplam facultatum hæreditatem adire vocabatur: Altera nondum conceperat cum hæc ad partum properaret: Vir prioris cum id cognouisset hanc suggerente demone in capite percutit, & interficit, quæ obijt die 21. Nouemb. anni 1649. ætatis anno 23. expleto cum duobus mensibus.

rò 23. expletis nulli maleficorum Directionis motu videtur applicare itaquod datum tempus vt falsum omninò reijcerem; nihilominus tamen cum amici constanter affirmarent esse verum, adij obseruandum cælestem habitum diei obitus 21. Nouemb. 1649. vt ex assensu cognoscerem causas; & inueni Solem in Asterismò Scorpionis non longè ab Antare, cum precessisset pleniluniuni oriente Sole in gradi 27. Scorpionis iuxta locum Directionis Lunæ, quem cum accurate contemplarer cognoui stellam fixam Antaris peruenisse ad æqualem à Culmine distantiam, quam habet Luna ab eodem versus occasum itaquod Luna ad eius parallelum cosmicum peruenisset, cumq. Aldebaram mediet Cęlum sub terra eodem cum Antare supra terram tempore, Luna cum Aldebaram quoq. Parallelum habet cosmicum: sunt autem ambæ Stellæ primæ magnitudinis, & naturæ Martis.

Quod verè hæ duæ stellæ potuissent in hoc natali tam ingens effectum elicere non est dubium; quoniam in natali valida admodum apparebat affectio naturæ maleficorum, potissimè Martis, cum esset debilis constitutio ad vitam; nam Luna quoq. in dignitatibus Martis erat, & cum Arcturo. Videmus quod in pabulum siccum, & ad ignem concipiendum dispositum omnis exigua scintilla satis est magnum incendium inijcere; par omninò ratio in natalibus in quibus vehemens aliqua dispositio appareat.

Præterea Luna motu conuerso applicabat ad loca Martis & Solis, & in occubitu fuerunt Saturnus & Mars in quadrato Solis natalis, & Luna inter eos in quadrato eiusdem Solis, adeoquod non sit inquirendum vlterius, neq. plures aliæq. causæ inuestigandæ. Supputatio directionis.

Si Arcus semid. Lunæ p. 81. m. 59 dant eiusdem distantiam à Culmine p. 4. m. 31. Arcus semid. Antaris p. 61. m. 22. dabunt distantiam secundariam p. 3. m. 23. quæ detracta à primaria, quæ est p. 25. m. 46. relinquit Arcum Directionis p. 22 m. 23 qui æquatus dat Annos 23.

Hinc verò docemur quod etiam fixæ fieri possint promissores in valdè affectis constitutionibus tam in bonum; quam in malum &c.

Item coniugimè principia leni rerum significationem decer-

ni à luminare temporis, non à reliquo: nam in hoc natale Sol inter maleficos est in 8. Domo; Luna inter beneficos.

XXXI.

D. Luisij Manzini.

De occubitu violento.



Vir iste clarissimus erat ingenio, maxime in pulchris literis, cuius extant opera digna; quarum causa apud magnos Principes sæpius honoribus decoratus, Anno 1657. ni fallor autumno tempore, miserrimo, & improuiso casu per vim occubuit: fuit autem annus ætatis 53. expletus. Sol lumen temporis erat in □ cosmico vtriusq. maleficæ, & fixæ Antaris, quæ ascendebat inter Martem, & Saturnum atq. etiam in □ cosmico Syrij. Luna verò in signo Leo-

Leonis igneo cum trigono in Zodiaco, & in ſeſquiquadrato Martis coſmico progrediebatur; nam illa propter ſuam latitud. merid. diſtat à centro 9. domus per quartam partẽ totius domus 9. Mars verò diſtat à 2. per quartam partem domus primæ; adeoquod Luna diſtat à Marte vlt. à trigono coſmicum, dimidio. inſuper domus 9. & hæc diſtantia eſt ſeſquiquadrati coſmici: inſuper Luna habebat declinationem Syrij, Caudę Leonis & Pallilitij: ille centrum 8. domus poſſidebat, hoc verò occaſum, & cauda ♌ Culmen in eius apparitione, quod obſeruatione dignum eſt, nam vt dixi in noſtro Primo Mobile declinatio illa violentorum caſuum ſuſpecta eſt. Luna igitur maleficorum naturam induebat; nam quintilis ♀ in Zodiaco, & ſextilis coſmicus; atq. ſeſquiquadratus in Zodiaco Iouis, vel biquintilis coſmicus parum prodeſſe poterant, quoniam Venus retrocedebat in vltimo à Sole quadrante properans ad occultationem; Iuppiter verò ſub Martis Parallelo poſitus erat; atq. ♀ & ♃ magis ab angulis diſtabant, quam maleficæ, quæ ideo ſuper illos eleuabantur; quamuis de cætero beneficæ in proprijs eſſent domibus. Rurſus beneficæ in loco Solis Luminaris conditionarij, & vitæ moderatoris nullam habebant dignitatem, neq. configurationem imo in ſigno ♍ patiuntur detrimentum. Sed Mercurius habet in eo carpentum, vt ideo omne bonum natus literis comparuerit; quæ cuncta obſeruatione digna ſunt.

Anno igitur 53. Sol vitæ moderator peruenit motu recto ad parallelum Declinationis Lunæ Syrij, Caudæ ♌ & Pallilitij. Nam Arcus Directionis æquatus pro annis 53. eſt. p. 50. fere. Eleuatio Poli ptolemaica Solis eſt p. 18. ſub qua aſcenſ. obliq. ☉ eſt par. 176. 18. cui addito arcu directionis fit ſumma p. 226. m. 18 reſpodens ibidem ad gr. 13. m. 30. ſigni ♏ cuius loci declinatio eſt p. 15. m. 57. Declinatio ☽ eſt p. 15. 8. Pallilitij 15. 30. Syrij 16. 12. Caudæ Leonis 16. 32. cumq. Sol augeret declinationem à Lunæ ad Syrij declinationem migrabat, & Caudæ ♌.

Motu vero conuerſo Sol ad Lunam peruenit vbi offendit ſeſquiquadratum maleficorum. Eleuatio Poli Lunæ eſt p. 14. fere ſub qua Aſcentio obliqua gr. 0. m. 32. ♒ cum la-

tit.

tit. Septentr. gr. 5. est p. 305. m. 30. cui addito arcu Direct. fit summa par. 355. 30. quæ sub eodem Polo respondet ad gr. 26. signi ♓ cum latit. Septentr. gr. 2. ferè quæ debetur diametro ☽ morantis in gr. 26. ♍ cum latitudine merid. gr. 2. & aliquot min.

Ferebatur autem hoc motu Sol cum □ Syrij itaut vbi iunctus est Lunæ, ipsa Luna ad □ Syrij cosmicum dauoluta esset.

Occidit Syrius cum grad. 1. m. 57. ♊ cuius oppositi ascensio obliqua est p. 261. m. 7. quare distat Syrius ab occasu gr. 22. 51. Hor. tempora diur. ☽ p. 17. 32. Hor. temp. noct. Syrij p. 17. 43. itaut parum inter se differant, & breuitatis gratia possumus differentiam negligere. Asc. recta Lunæ p. 261. m. 7. distat igitur à Culmine p. 26. 41. totidem distare debet Syrius ab occasu: Addo nunc hanc Lunæ distantiam ad distantiam Syrij ab occasu, & efficio arcum Directionis p. 49. m. 32.

Anno 6. Sol ad ☿ motu recto, conuerso ad □ ♂ vbi coincidit □ Syrij: eo anno decidit, & linguam dentibus abscidit, vt sola pelle pars penderet.

Et notandum quod Sol motu conuerso cum Syrio dum vterque vniuersali mouerentur habuit □ cosmicum anno 6. sed quoniam Syrius ob suam declinationem meridionalem habet pauciora horaria tempora diurna, quam Sol; separati sunt, & prius ad occasum peruenit Syrius quam Sol ad culmen: sub terra verò è contra Syrius habet plura horaria tempora quam Sol ideo rursus cum Sole contraxit □ cosmicum, vt iam vidimus in coniunctione cum Luna.


Memorabile & obseruatione dignum est hoc Exemplum: Astrolabium valde commodat ad hanc rem.

XXXII.

Cuiusdam Sacerdotis De insultu.

Vir mansuetus, & probitatis amator erat hic sacerdos; cumq. præesset ad Curam animarum die 12. mensis Decembris nocte sequente vocatus ad visendum infirmũ inpiè necatus fuit. Non ignarus Astronomiæ: ipse enim descripserat sibi natalitiam hanc figuram, atq. rem huiusce-

modi



modi, verebatur. Duobus annis antea leui admodum de causa carcerem substinuit, & impensas ex occursu Saturni ad Horoscopum atq; Solis ad Lunam, Sol lumen temporis in 12. domo cum Hyadibus sub Parallelo Declinationis Saturni ferè vsq; ad minuta positus erat; Luna in □. Martis Mercurius dominus Solis, & Ascendentis, in 12. mixtam induebat naturam ad inimicitias, & proditionem, ex parallelo cosmico ♂ & □ ♄ & cum Pleiadibus; Vitæ moderatio ad Lunam pertinebat quæ prædicto tempore peruenit ad gr. 5. & m. 40. ferè ♊ habens ibi latit. Merid. gr. 2. m. 53. iuxta Pallilitium inter Hyades, quæ cum Sole oriebantur, cum iam attigisset Declinationem Mercurij, & corpus Solis.

Declinatio Lunæ respondet ad gr. 21. m. 34. signi Arietis Eclipticæ, cuius Horaria tempora diurna p. 16. m. 25. Asc. obla

xi Domus est p. 2.m.6. Quare eleuatio Poli Lunæ, iuxta modum Ptolemæi est p. 26. ferè; ad quam Asc. obl. ☽ est p. 13.m.14. Arcus Directionis æquatus pro annis 40. cum mensib. 6. est p. 41. m. 46. qui additus ad Asc. obl. Lunæ efficit summam p. 55.0. quæ ibidem respondet ad gr. 5. m. 40. ferè seruata latitudine Lunæ gr.2.m.53. merid. quam ibi obtinet.

Obseruandum autem est quod Luna iungitur cum Pallilitio primò in Zodiaco, secundum scilicet longitudinem, & hæc nonnihil præcedit: Deinde iungitur in circulo horario, quando nimirum Pallilit. cum oritur in circulo Lunæ, & hæc statim subsequitur, iuxta ea quæ diximus in Cœlesti Philosoph. 2. & in Primo mobili; adeo quod Luna medio inter vtramq. coniunctionem nimirum in Zodiaco, quæ præcedit, & cosmicam, quæ subsequitur: habet autem ☽ ibi Declin. p.18.m.23. itaut iam attigisset Declinationem ☿ si huius locus verus est; & succedebat Declinatio Saturni.

Quod autem in verum sit ab hoc loco ortum habuisse hoc accidens patet ex eo quod ea nocte inter diem 12. & 13. Decembris necis nati, Luna posita est in primo gr. ♒ cum □ ♂ existentis in gr. 1. ♍. Sed consensus à Directionibus secundarijs mirabilis est: nam die 40. post natalem, quæ fuit dies 4. Iulij, Sol inuentus est in gr. 11.m.51. signi ♋. Mars verò in grad. 11.m.49 signi ♑ nullusq. beneficorum Soli aderat. Ex quibus patet quantum valeant Directiones secundariæ in addendo vires atq. sidera fixa in natalibus in quibus habent validè constitutiones, sicut apparet in alijs quoq. Exemplis.

Motu conuerso Luna progrediebatur ad □ ferè ♄, qui peruenerat ad Horoscopum, & ☽ iungebatur [illegible] quibus natus parui pendebat simultates; memorabilis profectò videtur hæc genesis, & miseratione digna, vt apud omnes iudicata est, & à me ad doctrinam exposita.

Potest in hoc exemplo fieri difficultas ex verbis Ptolemæi asserentis quod sidera radijs Solis obruta nec ad seruandum nec ad perdendum valent. Ad quod respondemus, quod Ptol. fortè loquitur de eorum configurationibus, non de congressu: videmus enim quod sidera oriendo cum Sole ingentes efficiunt in Elementis mutationes; vel certè loquitur de Planetis, non de fixis.

Aliud Exemplum per digressionem hoc loco positum. De casu violento desumptum à Sixto ab Hemminga Frisio.



SIxtus ab Hemminga satis eruditus hac disciplina, qua delectabatur, sicut ipsemet fatetur, sequutus celebriores sui teporis Auctores, tandem cum sibi moueri stomachū sentiret, dum supputationes in medium à Regiomōtano prolatæ, quibus vtebantur eo temporis professores omnes, à rei veritate longè dissentirent, ad vomitum deductus, in hanc disciplinam acriter adeo vectus est, vt volumē discrepantiū Exemplorum ad reijciendam, & damnandam hanc preclaram scientiam ediderit: Placuit ob hanc causam vnum e suis Exemplis expositis huc transferre, & nostra methodo sup-

putare, quo pateat quam benè congruat ipsis rebus. Hoc exemplum præ cæteris accepimus, quod in eo celebres Doctores laborauerint, vt Cardanus Leouicius, & Gauricus, præter id, quod inde deducuntur nonnulla cognitu digna.

Princeps iste referunt quod fuerit occisus anno suæ vitæ 44. nondum expleto idest die 10. Septemb. 1547. Violentiam ego dico decerni, quoniam Sol lumen temporis, & vitæ moderator manebat obsessus inter parallelos obedientes ad vtrumque maleficum atque insuper in sesquiquadrato Martis in Zodiaco, Rursus Mercurius à centro Culminis super omnes eleuatus, officiebat Horoscopo de radio quadrato, cum esset in signo sui detrimenti, & indueret maleficorum naturam per aspectum sesquiquadratum cosmicum, habebatq. declinationem Antaris: itaquod euaderet proditor validissimus; quod etiam proprium est posterioris partis Sagitarij. Item Luna ob latitudinem merid. ferebatur sub declinatione Antaris; ad quam latitudinem vergebant etiam ♀ & ☿ Cumque horum trium declinatio excederet declinationem Eclipticæ, excessum quemdam, vt sæpius vidi decernebant in suis effectibus: Luna, & Mercurius præsunt animi moribus, Venus concupiscentiæ, vt sæpius cum Galeno diximus, erat quoq. ♀ in opposito Martis.

Declinatio excedens obliquitatem Zodiaci vt notauimus in nostro Primo mob. suspecta est violentiæ propter declinationem nonnullarum fixar. naturæ maleficorum; nunc addo aliam rationem: nam sicut Sol in maximis declinationibus producit excessum qualitatum, ita proculdubio sequitur quod maiorem adhuc excessum ostendant sidera si excedant Solis maximam declinationem.

Authores prædicti dirigunt Solem ad oppositum Saturni, sed numerus ægrè congruit, subsequitur Venus; & non videtur fuisse anereta Saturnus, sed Mars: nã luminaria erãt in signo igneo, & iuxta Antarem naturæ Martis, & ⊕ erat in sesquiquadrato Martis. Saturnus verò viderur obsessus ab vnione Iouis, & opposito Veneris.

Erat quoq. Mars cum Castore, & Polluce præcisè in eodem circulo horario. In Horoscopo Hircus. Tandem Mars positus est in oppositione Solis vna cum vtroq. Cane iunc-

tus in eodem circulo; quod obseruatione dignum est.

Eleuatio Poli Solis Ptolemaica est p. 13. ferè in qua asc. obl. oppositi ✵ est p. 59. m. 16. Asc. obl. ♂ ibidem est p. 109. m. 27. & remanet arcus directionis ✵ ad opp. ♂ p. 50. m. 11. qui æquatus more nostro dat annos 44.

Motu conuerso Sol, puto, peruenit ad occasum, quo momento oriuntur Hyades. ibiq. inuenit quadratum Mercurij: nam & occubuit cum Sol attigisset eius quadratum; & ambo malefici fuissent in cardinibus natalis post celebratam Dicotomam, Sole in grad. 23. ♍ Luna vero in gr. 23. Gemin. manentibus, inter maleficas, iuxta ea quæ, suis locis diximus cap. 32. adeoquod Mercurius in hoc effectu maiorem partem obtinuisset. Vides igitur benigne Lector quod omnis nostra ratiocinatio cōgruit cum effectu, & eius tēpore.

Cæterum re vera effectus nonnihil præuenit, sed censeo præmotum fuisse ab occasu Solis, & □ ☿.

In his duobus exemplis apparet quod ex vnione ♄ & ♂ non oritur perfecta beneficia, vt pleriq. Authores censent.

XXXIII.

Pauli Burghesij pronep. Pauli V.
De casu notando ex Argolo.

ANno 22. expleto, & mensibus 5. videlicet die 7. Iunij 1646. hor. 14. m. 30. Horologij, voluptatibus ruri deditus, ait Argolus, de repente animi deliquio correptus est, conuulsis digitis sinistræ manus & sinistri pedis; impedita lingua; & memoria; eodem tempore inuasit eum febris cum capitis maxima grauitate singulisq. diebus subsequutæ sunt accessiones febris cum animi deliquio &c. die 24. extinctus est. Quod accidens censeri potest fuisse speciem quādam Apoplexiæ & ob vehementiam fluxionis humoris subsequutam esse conuulsionem manus, & pedis, linguæ impedimentum memoriæ &c.

In natali luna lumen temporis in pessimo habitu inuenitur cadens à domo, & latens combusta iungebatur cum Sole, dum à Mercurio separaretur, habens (quod deterius est) cum Saturno Parallelum Declinationis semper propinquiorem. In Horoscopo Venus cum sesquiquadrato cosmi-

Latit.
♄ 1. 8. S.
♃ 1.10. S.
♂ 0. 6. M.
♀ 5.19. S.
☿ 1. 0. M.
☽ 4.49. S.

Declin.
♄ 16.57.
♀ 17.36.
☽ 18.42.



co Saturni, & eius Declinatione, atq. cum quadrato cosmi-co Martis culminantis in Imo: oriebatur quoq. Venus cum Antare. Mercurius iunctus lunæ infelici combustus: sola Venus, & infeliciter collocata tantis malorum siderum conspirationibus non valuit occurrere, & prodesse; quin potius causam ex aliqua incontinentia præbuisse videatur: Vnde docemur quod Venus si valida sit viribus in mundo, & à maleficis læsa, à quibus etiam luminaria, & Horoscopus læ-dantur, ad morbos incontinentiæ causa viam sternat. Conuulsionem sinistræ manus, & pedis declarat Luna quæ sinistris partibus corporis præest, in vltima occultatione à Saturno læsa in secunda domo & signo Capricorni, quæ pedibus: Mecurius verò cum Luna etiam manum contrahit.

Censeri autem potest quod Venus esset vitæ moderatrix: nam in hoc casu luminaria non concurrunt; & Venus habuit triplicitatem in præcedenti plenilunio, & etiam in locis

lumi-

luminarium natalis, & fines in Horoscopo atq; cum Luna habet declinationem. in Annis verò 22. & mens. 5. peruenit ad quadratum Martis in Zodiaco.

Arcus Directionis æquatus est p. 23. m. 17. notandum verò quod locus Veneris à Magino ponitur in g. 18. m. 57. Sagittar. cum latit. Sept. p. 4. m. 17. Argolus verò in suis Ephemer. ponit Venerem in gr. 17. m. 7. Sagitt cum latit. Sept. p. 5. m. 17. (nam in figura ab Argolo falsò ponitur in Capric.) Venus igitur offendit quad. atum Martis in gr. 6. Capric. habens ibi latitud. Septent. p. 3. quare ex calculo Argoli præcedit effectus, ex calculo Magini subsequitur; ad eo ut sit verisimile quod Venus medium ferè locum teneat ex datis calculis, atq. tunc assentitur. In Decubitu Sol in signo Geminorum in culmine, at verò signum Geminorum, & culmen respiciunt manus. Luna in Piscibus qui pedes; Venus inter maleficos.

XXXIV.

Oratij Cardin. Iustiniani De vrinæ impedimento. Ex Argolo.

EX vrinæ solita difficultate decessit anno 1649. die 25. Iulij, ætatis suæ anno 69. & mens. 5. ex Directione Ascendentis ap sesquiquadratum Martis erat enim senex, & Luna inter infortunarum oppositiones &. cum ♄ æquicrurium, quæ si fuisset lumen conditionis ad senium vtiq. non peruenisset quamuis Luna applicet ad trinum Iouis. Horaria tempora Martis diurna p. 11. m. 54. ter accepta efficiunt summam p. 35. m. 39. quæ est distantia secunda ia Martis à Culmine, & iuncta cum primaria quæ est p. 29. m. 9. efficit Arcum Directionis p. 64. m. 48. qui æquatus dat Annos 69. & semissem. Argolus censet quod gr. 70. m. 5. sit ascensio obliqua imperantis Martis; sed est ascensio obliqua gr. 1. m. 20. signi Cancri.

Notandum verò quod Venus erat in signo sui detrimenti cum sesquiquadrato Lunæ cosmico, & cum semisquadrato Martis, & Mars propeians iungi cum Saturno, erant autem ♂ ♀ & ♄ orientales, quibus omnibus decernebatur vitium

in




in renibus, eratq. natalis debilis ob casū ab angulis vtriusq. luminaris, & Lunæ infelicem collocationem; superuixit diu causa trigoni ♃ & præsentiæ ♀ ad Horoscopum.

XXXV.

Virginij Cæsarini
De macie. & phtysi
Ex Argolo.

IN emaciationem, & Phtysis speciem deductus, cum prius laboraret acri fluxione à cap. ad spirituales partes obiit natus die 11 Aprilis 1624. ætatis suæ 28. & mensibus 6. ex Directione Horoscopi vitæ moderatoris ad Antarem hoc est Cor Scorpij, ait Argolus, quod censeo verissimum, nam cum ambo malefici inueniantur angulares, & supra Solem ele-



eleuati Saturnus Parallelo Declinationis, & Mars cosmico, qui ex aduerso Horoscopi ponitur inter Pleiades remotis beneficis, omnis leuis causa sufficiens erat: & quod ita sit die 11. Apr. 1624. in qua obijt erat Mars in exordio Geminorum applicans quam proximè ad oppositionem loci Directionis: At verò fixas primæ magnitudinis in huiusmodi casibus censeo mortem inferre posse quod vidimus etiam supra in muliere illa Patauina atq; in alijs: neque videtur dissentire doctrinæ Hippocr. & Galeni, qui validas Crises affirmant produci in exortu clarissimorum siderum. At verò in constitutionibus natalium validis ex felici benignorum Planetarum familiaritate erga vitæ moderatores, fixæ etiam illustriores possunt quidem effectuum speciem definire, sed elicere notabiles effectus, minimè absolutè.

Iuppiter infeliciter positus, vtpote retrocedens, & inter

male-

maleficorum radios positus, pulmonum ægram affectionem declarabat, & in vniuersum ambo maleficæ angulares.

XXXVI.
Fulgentij Origheti Sacerdotis De casu ab equo.



VIr iste Sacræ Theologiæ professor conspicuus, & inter naturales scientias etiam Astronomicas egregiè callens, adhuc infans cum ab alio super equum veheretur anno 1622. die 29. Septemb. cecidit equus, & ipse infans sincipue ad lapidem grauiter percussit, atq. inibi cicatrix superstuit, iuxta professorum axioma de Marte in Horoscopo inuento: oriebantur Luna & Mars cum Pegaseis, & erat in quadrato Saturni secundum longitudinem: sed ratione latitudi-


titudinis borealis Luna oriebatur cum Venere; nã Ascensio obliqua Veneris est p.345. m. 47. Lunæ verò p. 346.m.12. Quare nisi Luna obtinuisset latitudinem borealem forsitan ad annuam nutritionem natus non fuisset ingressus: Notandum verò quod die casus fuit Mars in gr. 11. signi Virginis ex aduerso scilicet loci directionis: nam Horoscopus peruenerat ad Martem, qui itinera, & casum ab equo cum graui percussione decernebat. Memorabilis profectò natalitia hæc constitutio propter Planetarum interpositiones. Viuit adhuc Reip. scientiarum splendor.

XXXVII.

Hieronymi de Titis Sacerdotis
De calculo, & humorum defluxu.

HIeronymus de Titis Sacræ Theologiæ Magister, patruus meus, qui ad fontem Baptismi Ioannes Troianus fuerat vocatus, Diui Francisci habitum adhuc adolescens induit: erat vir statura paruus, sed concinnè formatus, vultu hilaris, intellectu conspicuus, in rebus peragendis mirum in modum solers, efficax, & præcox, prudens quoq. vrbanus, & eloquentiæ copia, simul & gratia fæcundissimus; acumine tandem in scientijs ingenij, & arguendi tanta vi prædictus, maximè in Sacris literis, & Teologia, cuius laurea Anno ætatis suæ 18. dignatus, & donatus est, vt Theologhinus à corporis pusillitate per antonomasiam vocaretur. Alumnus fuerat quondam Cardinalis Setnani, & è primis nobilis Collegij D. Bonauenturæ Romæ à Sixto V. erecti: Mox varijs titulis studiorum suæ religionis Patauij, Bononiæ, & alijs in locis perfunctus, & in diuersis Vrbibus concionibus summa cum laude auditus à nobilitate Augustę Perusię sponte vocatus ad publicum præclarum illud Gymnasium in Sacræ Theologiæ professorem; munus duodecim Annis sustinuit. sed cum anhelaret animi tranquillitatem, lubens se abdicauit, & ad Ciuitatem Plebis reuexit, atq. ad reparandum non modo Templum, & domum ibi Diui Francisci se dedit, verũ etiam diuino cultu, musicis concentibus, & Academia ex colendum: ædes vetustate collabentes ferè vniuersas reædificauit, templum fa-

 oris



cris indumentis, & vasis argenteis exornauit, prouentus auxit, bibiliothecam amplam congregauit. Anno 1634. Minister Prouincialis Tusciæ electus ad sex annos prorogatus est: interim ne ocio grauaretur, ad explanandum Sacrum Euangelium, & Epistolas D. Pauli se conuertit, cuius exstant opera, partim ædita, partim ædenda. Anno 1642. bellorum tẽpestate pressus è loco discendens montem petijt Ilicinum ibiq. aliquot Annis commoratus est; rursus ad patrium solum reuocatus. Tandem Anno 1656. die 5. Martij, ætatis suæ 85. & mensibus sex, vt immortalitate gauderet, nos morte sua tristari; sicut Deo O. M. placuit voluit affluentium humorum obrutus defluxu sine febre. Poesi quoq. cuius habentur opuscula, alijsq. pulchris literis decoratus omne instrumentorum musicorum genus eleganter pulsabat: Quod intueretur manu contextum, vel depictum, vel fabrefactum,

factum, non erat pulchrum, & ornatum, quod ipse similiter non exprimeret: Moralium virtutum, honestatis, & pudicitiæ seruator, & Magister acerrimus: Pietate perpetuo flagrans: Sacrum nullo die intermittens, nisi grauiter decumbens: in audiendis pænitentibus indefessus: omnibus, & per omnia dilectus, & desideratus.

Concepit aliquando calculum, qui ad virgam ingressus est; cumq. non posset egredi à Chirurgo partim & propria manu caput virgæ scissum & apertum est, atq. erectus calculus.

In natali Venus iungebatur Saturno, & Luna transferebat radios Martis ad ♀.

Quoad vitam moderatio pertinebat ad Partem fortunæ, quæ in annis 85. cum dimidio peruenit motu directionis recto ad Pleiades: erant enim Pleiades momento natalis in centro Horoscopi; quibus subsequebatur quadratus radius cosmicus Mercurij. Motu verò conuerso Pars fortunæ peruenerat ad medium octaua domus iuxta fines cosmicos maleficorum; Cumque eodem tempore Saturnus peruenisset ad Imum, ipsa Pars fortunę hoc motu ferebatur cum sesquiquadrato eiusdem Saturni.

Primò igitur definio locum Partis fortunæ; Ascensio obliqua Solis in Horoscopo est p. 156. m. 8. quam detraho ab Ascensione obliqua Horoscopi quæ est p. 24. m. 57. addito huic prius integro circulo; & remanet distantia Solis ab ortu p. 228. m. 49. Hanc distantiam addo ad Ascensionem rectam Lunæ, quæ est p. 97. m. 41. & efficio Ascensionem rectam Partis fortunæ p. 326. m. 30 distat verò Pars fortunæ à Culmine p. 31. m. 33. versus Domum xi. Horaria tempora Pleiadum sunt p. 18. m. 57. Partis for. Horaria temp. diurna. quæ & Lunæ, sunt p. 18. m. 13. Quare si Horaria temp. Part. for p. 18. m. 13. dant distantiam p. 31. m. 33. Horaria temp. Pleiadū p. 18. m. 57. exhibent distantiam secundariam p. 32. m. 49. Distant verò primario p. 115. m. 10. à quibus detractis p. 32. m 49. remanet Arcus Directionis p. 82. m. 21. qui æquatus dat Annos 85. cum dimidio.

Pro motu conuerso: ad Partis fortunæ distantiam rectam addo ter horaria tempora, & efficio summam p. 86. m. 12.

itaut Pars fort. nondum peruenisset ad exquisitum sesquiq. Horoscopi; similiter & Saturnus nondum attigerat Imum itaut Pars for. descenderet cum sesquiq. Saturni. Asc. recta ♄ est p. 199. m. 6.

XXXVIII.

Antonij puerуli Ticinensis, qui praeceps actus occubuit.



INfantulus iste Anno 1663. die 5. Augusti hora 22. cum semisse ferè aetatis suae mense 16. expleto, à nutricibus super fenestram impositus, & relictus decidit in viam, & percusso capite ad lapides, & incisa dentibus lingua, hora 5. noct. seq. obdormiuit in aeuum. In natali Sol lumen temporis ascendebat cum quadrato cosmico ♂ partili, vt videre est in Planisphaerio, & numerorum quoq. calculo cognosci potest; in Zodiaco verò Sol applicabat ad eiusdem

Mar-

Martis quadratum, & ad sesquiquadratum Saturni. Luna erat cum Capite Draconis in Parallelo cosmico ipsius Martis. Saturnus iam descenderat ab occasu; neq. enim superuixisset tan diù quoniam vitæ moderatio ad Horoscopum pertinebat; etenim Sol debilis adhuc parumper distans à cuspide domus xii. Erât autem in Horoscopo Aldebaram fixa martia & Hyades, Mars non longe submittebat semiquadratum: Quaterniones autem de sententia Hippocratis, & Galeni, vt in superiori tractatu vidimus, in acutissimis morbis decernunt; pari ratione in natalibus debilibus, vt sępius vidimus. Mars ascendebat cum canibus, & præcisè in eodem circulo horario cum Syrio Saturnus verò descendebat cum Antare.

Horoscopus motu Directionis peruenit ad Aldebaram, subsequente quaternione Martis; manente iam Sole inter maleficorum hostiles radios, vt diximus; sine vlla beneficorum ope, quod cauendum semper in violentis casibus.

In Directione secundaria die 3. Aprilis cum aliquot horis Luna peruenit ad exquisitum plenilunium.

Progressiones pendent à die 12. Maij. in qua Sol habebat gr. 22. Tauri scilicet sub Declinatione ibi vtriusq. malefici, in signo fixo, & Mars in fixo: fixa verò ruinas minantur vt docet Ptol.

Facto igitur nouilunio die 3. Augusti 1663. in g. 11. Leonis, quo die dum Sol teneret Imum Saturnus descendebat præcisè apud occasum, in quadrato videlicet cosmico, sicut notauimus in tractatu de causis trāsmutationis Elementorū vnde tūc vniuersaliter orta est notabilis frigiditas cum imbribus, atq. grandine: Cumq. gradus 11. Leonis ponantur in Imo natalis huius infantis ad ipsum delata est malitia huius constitutionis, adeoquod etiam obierit hora 5. noctis manente Sole in Imo, & Saturno in occasu exquisitè; id quod sæpius diximus etiam in superiori tractatu.

Hinc docemur; data vniuersali constitutione in nouilunijs, & plenilunijs siue felici, siue infelici super loca principalia natalis; atq. data moderatorū in natali per Directionis motū applicatione; tunc apparere effectus bonos à bonis, malos à malis constitutionibus, iuxta ea, quæ docet Ptol. cap. fin. lib. 4.

XXXIX.

Iacobi Philippi Tomasini Episc. Æmonensis
De suppressione urinæ.

Latit.
♄ 0.54. S.
♃ 1.42. M.
♂ 0.40. M.
♀ 0.51. S.
☿ 2. 2. M.
☽ 3.13. M.

Declin.
♂ 15. 14.
♀ 16. 10.
☽ 17. 17.

1595. Nouemb.
D. H. M.
17. 4.49. P.M.

Figura huius natalis exhibita mihi fuit dum Patauij degerem à professoribus amicis meis humanissimis, postquam hic Præsul decessit. Sol cum iam sub occasum descendisset, non videtur potuisse moderare vitam, quamuis tantum per tres gradus distaret; sed Luna, quæ plena luminibus oriebatur in Horoscopo proculdubio vitæ prorogationem sumebat. Anno 46. in quo natiis muneribus idoneus visus est Iuppiter ad culmen, & Sol ad gr. 16. ♑ vbi impingebat in sextilem ♀ peruenerant; Arcus Directionis æquatus est p. 50. m. 21. obijt ex vrinæ suppressione die 13. Iunij 1655. ætatis anno 59. & mensib. 8. pro quibus Arcus direct. æquatus est p. 65. m. 9. ascens. obl. Lunæ est p. 41. m. 29. quib. addito arcu direct. fit summa p. 106. m. 38. quæ

in

in eadem tabella reperitur in gr. 1. m. 12. ferè signi ♌ seruata ibi latit. Lunæ australi p. 4. m. 55. cũ qua ibi obtinet declin. p. 15. m. 10. quam habet Mars in natali vsq; ad minuta, adeout maneret ad parallelum declinat. Martis exquisitum. Ascendebat autem Luna inter Canes, & cum declin. Veneris Syrij Aldebaram &c. vt mirum fieri non debeat natum violenta vrinæ suppressione occubuisse, sicut decernebat ipsa Venus cadens à propria domo & ab occasu, sub oppositione Martis, declinatione prædictar. fixar. in signo ♒ item Luna colligens radium quadratum ♄ & communicans Veneri parallelo cosmico si Præsul hic præcognouisset se tali morbo futurum obnoxium, muniendo se alimonijs, & medicamentis forsitan euasisset. Die obitus erat ♄ à gr. 4. ♍. in □ ☽ in Zodiaco radicis, & ♂ à gr. 2. ♒ in ☍ loci direct. & in □ cosmico Lunæ radicis, imo etiam in Parallelo. Luna in natali oriebatur cum Hyadib. & sol descendebat cum Antare. Motu conuerso ☽ applicabat ad ☌ ♄

XXXX.

Scipionis Cardinalis Burghesij De vrina impedimento. Ex Argolo.

DEcubitum huius Cardinalis exposuimus in super. tract. apparent autem eædem constellationes hic in natali quæ sunt in Decubitu. Venus hic manet sub sesquiquadrato cosmico ♄ & in quadrato atq. declinat. Lunæ & Syrij qui possidet Angulum Imi. Luna verò congregat, & communicat radios Veneris cum Marte.

Obijt die 2. Octobris 1633. ætatis suæ anno 56. & mens. 1. ex difficultate vrinæ &c. vt supra in Decubitu.

Luna hoc tempore peruenit ad oppositionem Saturni etiam iuxta nostrum calculum, sed supputando in circulo crepusculino hoc modo.

Ascensio obliqua Lunæ in Horoscopo, est p. 18. m. 56. à qua detraho Ascens. Horoscopi, & remanet distantia Lunæ ab Horoscopo p. 14. m. 54. Ascen. obl. oppositi Saturni est p. 73. m. 2. à qua detraho Ascensionem obliquam Lunæ, & remanet Arcus Direct. supputatus in Horoscopo p. 54. m. 6.

Declinatio Lunæ quæ est p. 15. m. 35. respondet in Eclip-

Latir.
♄ 0.35. S.
☽ 2. 0. S.

Declin.
☽ 15.35.

1577. Septemb.
D. H. M.
1. 7. 1.P.M.

tica ad gr. 12. m. 20. ♉ ingredior Tabellam Crepuſculorum noſtri Primi mobilis ad latit. Romæ, & in corpore ad gr. 10 ♉ parum enim vel nihil refert ſi vtor gr. 10. vel 12. ♉ inuenio diſtantiam Lunæ ab Horoſcopo p. 14. m. 54. in parallelo crepuſculino depreſſionis gr. 10. & e directo eiuſdem paralleli ſub g. 0. ♋ accipio gr. 17. m. 14. cum ergo diſtantia hęc ſecundaria maior ſit quam primaria gr. 2. m. 20. hos gradus detraho ab arcu Direct. ſupra accepto in Horoſcopo, & remanet Arcus Direct. ſupputatus in circulo Crepuſculino p. 51. m. 46. qui æquatus more noſtro metitur Annos 56. Poterit ſumi pars proportionalis diſtantiæ uni tam ad g. 12. ♉ quam ad gr. 0. ♋ ſed differentia exigua eſt, & parum refert: nam tempora effectuum per annum aliunde requirit Ptolemęus vt patet ex capite vltimo lib. 4.

XXXXI.

Riciardi Aduocati Brix. Nobil. Veneti

Ex Argolo.

De casu violento in bello.

309.31.



Latit.	
♄	0.48. S.
♃	0.36. M.
♂	1.23. S.
♀	0. 5. S.
☿	0.56. S.
☽	4. 9. S.
Decln.	
♂	15.10.
☉	17. 5.
☿	10.28.
☽	14.46.

QVoad animi qualitates; & militarem artem, Luna in domo Martis erat, & in eius parallelo Declinationis etiam applicans, quamuis corpore se separaret; eratq. Lunæ cum Antare precisè in eodem circulo Rotario; et Mars applicabat ad trinum Culminis. Vitæ moderatio pertinebat ad Solem, qui cum esset in □ ♂ & eius Declinatione; atq. etiam in Declinatione Lunæ Martis imbutæ qualitatibus; addita malefica in 8. domo, exitum violentum declarabat: Iuppiter iuxta Solem quoad hoc parum, vel nihil profuit, quia separabatur: nisi quia esset in Culmine in primo statu orien-

orientalitatis exhibuit munera. Mercurius maleficorum naturā induebat, nam in sesquiquadrato Martis cosmico, & in □ ♄ cosmico, cum haberet sextilem in Zodiaco cum eodem; ipse Mercurius cadens à domo, & latitudine, nulli beneficorum familiaris. Occubuit natus in bello Valentiæ anno ætatis suæ 29. cum mens. 8. ferè, quo tempore Sol ad Mercurij parallelum cosmicum appulit motu recto, cum præcessisset Saturni □ cosmicus ad Solem, qui non necauit, cum non esset anereta ♄ sed Mars propter huius ad luminaria plures familiaritates; potuit tamē ♄ ex 8. domo magis euidenter declarare talem exitum, qui vna cum ☿ concurrit in loco directionis Solis. Directio Solis recta ad parallelum ☿ cosmicum assentitur ad vnguem absq. vlla alteratione figuræ, cuius calculus talis est.

Solis ascens. recta est p. 315. m. 5. quare distat à Culmine p. 5. m. 34. hor. temp. Solis p. 12. m. 0. quæ si dant distantiam p. 5. m. 34. hor. tēp. ☿ p. 13. m. 14. exhibt distantiam secundariam eiusdem p. 6. m. 9. à Culmine versus occasum, & iuncta cum primaria, quæ fuit p. 22. m. 36. nam Asc. recta ☿ est p. 332. m. 7. efficit arcum Direct. p. 28. m. 45. qui æquatus more nostro dat Annos 29. mens. 8. Motu conuerso Sol iam steterat ad parallelum cosmicum ☿, sed, quod refert, hoc motu Sol ferebatur cum □ cosmico Lunæ. Nam addito Arcu Directionis ad Asc. rectam Culminis fit summa gr. 338. m. 16. respondens ad gr. 6. m. 30. signi ♓ collocandum in culmine expleta Directione; tunc autem Sol peruenit ad centrum 9. Domus, ibi enim ponuntur gr. 12. signi ♒; at verò in 6. Domo ad sunt g. 25. signi ♏, vt ex Tabulis Domorum constat: quare Sol ferebatur cum □ ☽ ad vnguem ferè, quoniam Luna habet lat. sept. & cum ipsa descendebat Antares.

Sol præterea applicabat ad sesquiquadratum ♂ cosmicum: supputatio hæc est. Eleuatio Poli Solis est p. 5. in qua Asc. obl. Solis est p. 316. m. 36. Asc. obl oppositi ♂. ibidem est p. 41. m. 54. à qua detracta illa, addito ei prius integro circulo, remanet distantia oppositi ♂ à ☉ p. 85. m. 18. hor. tēp. ♂ sunt p. 17. m. 37. quæ ter ducta fiunt p. 52. m. 51. has detraho à p. 85. m. 18. quæ sunt distant. a oppositi ♂ à Sole, & relinquit arcum Directionis p. 32. min. 27. nam sesqui-

quadratus cosmicus fit in distantia ab oppositione triplicatis temporibus horarijs, itaquod Sol non longè motu recto applicaret ad sesquiquadratum ♂ cosmicum.

Notandum verò quòd vulnus accidit in brachio, ratione loci Solis, & ☿ in Culmine; secundum scilicet rationem cosmicam: nam ex radijs cosmicis Sol erat læsus quod si fuisset læsus radijs in Zodiaco, signa Solis & ☿ respiciebant tybias & pedes.

XXXXII.

Andreæ Cornelij Senatoris Veneti & in Cretæ Ducis militum.

De violentia in bello.

Ex Argolo.

ANno 1646. die 20. Octobris hora 22. cum dimidia, ętatis suę anno 51. expleto cum acerrimè dimicaret contra Turcas in Cretæ Insula, transfossus in medio pectore glande moschetti gloriosè occubuit.

In hoc natale dato tempore exposito ab Argolo ad hor. 9. m. 59. noct. seq. siue ad hor. 15. m. 5. P. M. poni debent in Horoscopo gr. 21. signi ♍: veruntamen in descripto per Argolum Themate nulla apparet Directio moderatorum vitæ quicunq. sumatur ad maleficos in annis 51. Certum autem est moderationem vitæ pertinere ad Part. fort. Directiones enim ab Argolo datæ leues sunt, & quæ Solis fictitia, maximè cum Sol infra terram inueniretur.

Quare liceat mihi producere tempus m. 26. quod possibile est causa differentiæ consuetæ Horologiorum Solis, & Ciuitatis itaut ponantur in Horoscopo gr. 25. m. 51. signi ♍ atq. collocare Fortunæ partem iuxta nostram recętiorem methodum. Tunc enim Pars For. motu Direct. peruenit ad quadratum ♂ subsequente ♄ cum præcessisset ☽ & Cor Leonis. Erant autem ☽ & Pars fortunæ cum eadem Declin. ♂, imò cum Declin. Syrij, & Pars fortunæ in eodem circulo cum Syrio; atq. ita in longum, & latum secum iuncta. Mars inter Pleiades. Luna in □ cosmico Martis. Locus vulneris fuit in medio pectore ob situm Partis for. in Culmine, & circa signum ♋ & ☽ in ♌ itaut ad violentiam, ad locum vulneris,

294.57.

Latit.
♂ 2. 4. M.
☽ 4. 3. S.
Decl.
♂ 15.54.
☽ 16. 6.
☉ 16. 6.
Syrij.
26. 0.

1595. Octob.
D. H. M.
27.

& eius tempora nihil proprij censetur deesse, videamus : a culum.

Primo definio locum Partis fortunæ hoc modo. Asc. obl. Solis in Ortu est p. 225. m. o. quam detraho ab Asc. Horoscopi, addito huic prius integro circulo; & remanet distantia Solis ab ortu p. 309. m 33. Hanc addo ad Ascen. rectam Lunæ, quæ est p 151. m. 24. & efficio summam p. 460. m. 57. à qua ejcio integrum circulum, & remanet Ascens. recta Partis fortunæ p. 100 m. 57. Distat ergo Pars fort. à Culmine p. 16. m. 24. versus orientem.

Cum verò Declinatio Partis fort. parum differat, idest m. 12. à Declin. ♂ ex qua nihil differentiæ oritur Horariorum temporum; distantia secundaria ♂ ab occasu eadem est quæ Partis fortunæ à Culmine.

Ascen-

Ascensio obliqua oppositi Martis est p. 245. m. 2. à qua detraho Ascens. Horoscopi, & remanet distantia primaria Martis ab occasu p. 70. m. 29. ab hac detraho distantiam secundariam eiusdem, & remanet Arcus Directionis p. 54. m. 5. qui æquatus more nostro dat Annos 51. Cæterum nos Martem & Lunam collocauimus in gradibus, & minutis prout habet Maginus in suis Ephemeridibus.

Hæc est nostra sententia quoad hanc genesim si quis magis consentanea rationi cognoscat; gratum facturus precamur exhibeat.

XXXXIII.

Caroli Fr. Moianæ Pueruli Mediol. submersi ludendo.


ANno 1662. die 2. Octob. duo pueruli vt solent ludebant secus aquæductum; hic propinquior aquæ cum esset decidit in fluentum, & suffocatus est hora circiter 16. Ciuitatis, ætatis suæ anno 2. expleto, cum 7. mensib.

Vitæ moderatio ad Lunam pertinet eratque ipsa lumen temporis posita in finibus triplicitate, & exaltatione ♄, & ad eius parallelum cosmicum quam proximè impingebat, applicans ad □ cosmicum ♂, quod constat ex tabulis Domor. nam posito gr. 15. ♊ vbi ♂ in domo 6. inuenitur gr. 1. ♏ vbi ☽ in domo 9. tandem ☽ læditur à sesquiquadrato ☿, qui Saturni naturam accipit à signo, & □ ♄.

DirectioLunę ad parallelum cosmicum motu recto sic habetur Declinatio Lunę est p. 8. min. 58. Austr. quæ respondet in Ecliptica ad g. 7. m. 30. signi ♎ quare tempora horaria ☽ sunt p. 14. m. 30. Ascens. recta ☽ p. 179. m. 21. distat igitur ☽ à culmine p. 20. m. 40.

Declinatio ♄ est p. 13. m. 13. quæ respondet ad gr. 5. Eclipticæ ♓, cuius horar. temp. p. 12. m. 44. Asc. recta ♄ p. 320. m. 47. Nunc si horar. tép. ☽ p. 14. m. 30. dant eius à Culmine distant. p. 20. m. 40. horar. temp. ♄ p. 12. m. 44. dant p. 18. m. 8. quæ est distan. secundaria ♄ distat verò ♄ p. 20. m. 46. à quibus detracta illa secund. remanet arcus directionis p. 2. m. 38.

Motu etiam conuerso Luna in eiusdem ♄ Parallelum incidit eodem tempore, acquirit enim eamdem distan. à culmine



mine, qualem habet ♄ & poterit contingere aliqua differentia, sed modic

Ad □ ♂ cosmic am hæc est supputatio. Differentia ascensionalis ♂ est p. 27. m. 37. quam aufero à gr. 90. & remanet arcus seminocturnus ♂ p. 62. m. 23. Quare hor. temp. noct. ♂ sunt p. 10. m. 24. Vbi notandum quod cum non possit reuocari ad Eclipticam declinatio ♂, quia superat obliquitatem Eclipticæ, vtimur differ. ascensionali.

Nunc si tempora hor. ☽ p. 14. m. 30. dant eiusdem distant. à Culmine p. 20. m. 2. horar. temp. ♂ p. 10. m. 24. dabunt distan. secundar. ab occasu ♂ p. 14. m. 49. distat autem ♂ ab occasu p. 9. m. 2. vt ex ascens. obliquis locorum oppositor. constat, vnde remanet arcus direct. p. 5. m. 47. itaut subsequeretur intra tres gradus ad summum.

Fuit autem ☽ die, & hora mortis in gr. 14. ♊ super locum scilicet

scilicet ♂ natalis ad vnguem; cum præcessisset plenilunium in æquatore fere, sub quo erat ☽ in natali à maleficis obsessa atq. per Directionem.

Non fuisset nutritus hic puer supra annum nisi ☽ frueretur ☍ ♀ quoniam etiam Sol inuenitur læsus à □ ♂ in Zodiaco. Ludens occubuit puer ob ☿ sesquiquadratum ad ☽, iuxta illud Ptol. & si ☿ accedat in palestris, & gymnasijs.

XXXXIV.

N. Marchionissa Patauina inuida sorte iugulata.



MVlier hæc progenie nobilis, etiam virtutibus clara, iugulata fuit nocte seq. diem 15. vel 16. cuius non memini. Nouemb. 1654. ex Directione Horoscopi. vitæ moderatoris ad □ ♂: nam Asc. recta ♂ est p 29. 0. à qua detracta Asc. recta culminis, quæ est p. 345. m. 51. remanet

Arcus

Arcus directionis p. 41. m. 9. qui æquatus more nostro dat Annos 44.

Luna luminare temp. in Zodiaco discedens à □ ♄ in 8. domo manentis iungebatur eiusdem Parallelo declin. nam declinatio ♄ est p. 16. m. 9. Lunæ vero p. 15. m. 21. Luna autem augebat declinationem; habebat quoq. ☽ cum ♄ □ cosmicū exquisitum, & applicabat ad sesquiquadratum Horoscopi, quo radio hostili communicabat hanc ♄ constitutionem ipsi Horoscopo: vnde Luna manebat in finibus maleficorum cosmicis parum profuit ♃ ibidem præsentia, Sol quoq. ad eiusdem ♄ sesquiquadratum in Zodiaco applicabat, manens in finibus maleficorum.

Die 44. expleta post natalem Sol inuentus est gr. 13. signi ♐ sub parallelo declin. ♄ in quo loco celebratum est nouilunium die 8. Nouemb. 1654. ante diem occubitus.


XXXXV.

Vincentij Negusantij Fanensis De varijs casibus.

HIc adolescẽs ad nobilitatem sui generis in animo præclaras dotes, & literarum ornamenta subdiderat, & præ cæteris Poesi fulgebat admodum eleganti, atque tam Italico, quam Latino sermone; aspectu pulcherrimus, moribus suauissimis decoratus; vt ostendit inter ♀, & ☿, qui raro contingit aspectus sextilis manente ♀ in proprio carpento, & permutata inter ☿, & ♃ angulares dignitate domus iungebatur quoq. ☽ cum Spica ♍ etiam in latum, quæ mirum leporem, & venustatem conciliare solet.

Aetatis suæ anno 6. videlicet die 9. Iunij 1580. graue periculum subijt submersionis in quodam fonte, in quem capite inuerso lapsus, non parum ex eo hausit; ea die fuit ☽ in gr. 8. ♊ ex aduerso ♄ natalis. Anno sequenti die 6. Nouemb ab eminenti loco decidit sine graui læsione fuit Sol in gr. 24. ♏ super Martem natalis, qui directionis motu peruenerat ad Imum scilicet ad quadratum Horoscopi, & cum esset in signo fecũdo potuit vtrũq. accidens efficere: hac die fuit ♂ iunctus Soli in suo loco natalis cum □ ♃. Anno ætatis 21. cum decumberet morbo quodam interno medicis parum

cognito,



Latit.
♄ 2. 4. S.
♃ 0 45. M.
♂ 1. 19. S.
♀ 1. 44. M.
☿ 2. 38. M.
☽ 4. 42. S.

cognito, post assumptum pharmacum decessit hic adolescens ex directione Horoscopi ad □ ♄, nullo benefico occurrente: quæ significatio patet ex eleuatione maleficarum supra ♀, tum etiã ex infelici ♃ habitu, erat quippe occidentalis à ☉ inter diametrum maleficarum. Fuit monẽtum climactericũ.


XXXXVI.

N. Patritij Fauensis in præcipitium lapsi.

Exijt à propria domo hic adolescens ætatis suæ anno 19. ob dissensiones cum suo patre, sicut decernebat ☽ in □ cosmico ☉, qui cum ♄ iungebatur manens sub eiusdem eclin. & in □ ♂. Tunc temporis ☽ morabatur motu direct. inter ☌ ♂ & □ ☉, & ♄; fuerant sub eadem declin. in natali ☉ ☽ ♄ & ☿. Et ☽ quidem applicabat ad sext. ♀ in anguio

Latit.
♄ 1.26. S.
♃ 0.22.M.
♂ 1.58. S.
♀ 2. 2. S.
☿ 0. 0.M.
☽ 3.46. S.

Declin.
♄21.47.
♃23. 9.
♂10. 1.
☉20.20.
♀ 6.47.
☿20.27.
☽19.50.



occidentis positæ in propria domo, vnde natus moribus cōpositus videbatur. Inde post multa itinera, militiæ se dicauit, & anno 1655. mense Aprilis, ætatis suæ an. 21. cum dimidio ferè decidit à mœnibus Arcis & fractis tybijs occubuit. Causa iam innotescit à ☉ temporis luminare inter malesicorum radios hostiles collocato, & in 8. domo, cum testimonio quoq. infelicitatis ☽ Anno 22. Horoscopus peruenit ad sesquiquadratū ♂: nam vt in alijs exemplis vidimus in huiusmodi natalibus obnoxijs hic radius fit validissimus.


Horaria temp. noct. ♂ p. 13. m. 22. & triplicata efficiunt p. 40. m. 6. quæ sunt distantia secund. ♂ ab Imo. Distat verò ♂ ab Imo in natali p. 63. m. 30. à quibus dempta distantia secundaria remanet Arcus Direct. p. 23. m. 24. qui æquatus more nostro dat annos 21. cum dimidio ferè. Hinc discant adolescentes suis obtemperare parentibus cum humiltate, & suf-

ferentia

ferentia, quippe quibus de iure etiam naturę tenentur: signũ enim alias est infelicitatis, & discriminum; atq. luminarium infelicis habitus, vnde effluũt incõmoda sicut dixim. suis locis.

XXXXVII.

N. adolescentulæ Fanensis sororis supradicti De ruina.



NOn est quod euidentius doceat, & declaret huius artis præcepta, quæ à primis doctoribus tradita sunt, quam exempla. Anno 1643. die 29. Iunij hor. 19. Ital. hæc adolescentula ludens in foro cum alijs in capite grauissimè percussa est lapide è tecto auulso, & obijt die 2. Septemb. prox. seq. Erat clauda sic effecta dum esset puerula ex amplexu vehementi cuiusdam mulieris.

In hoc natale ☽ luminare temporis cum occidentis angu-

lum possideret applicabat ad △ ♀, & Iuppiter ei succedebat, sed sphæra suæ actiuitatis nondum eam attingebat; erantq. benefici quidē in proprijs dignitatibus, sed ab angulis remoti. Cumq. tota plenitudo maleficorum in centro cardinis Imi maneret, hæc puella nutrita quidem fuit, sed ingens deinde malum perpessa est, eo quod ♄ in primo statu orientalitatis possideret cuspidem cardinis Imi feriens ☽ □ cosmico exquisito, & Mars parallelo declin. At verò ♂ trahebat ☿ ad suam partem, & naturam eratq. cum Antare. Rursus omnes hę maleficę eleuabantur supra ♀ parallelo cosmico, atq. supra ♃ □ tum cosmico, tū in Zodiaco: vnde patet quod sciuaretur ingens malum ad statum tempus, cui beneficæ occurrere non valebant. Cum igitur ☽ motu recto tetigit □ ♂ in Zodiaco subsequente □ ☿ vbi aderat etiam non valde differens declin. ♄, subsequente □ Antaris, & pallilitij à ruina percussionem exhibuere. Iuppiter succedens non valuit seruare, quia solus contra plures, & viribus singulis longè inferior; habebat quoq. ☽ maximam lat. austr. Iuppiter Planeta diurnus erat supra terram de nocte.

Ex hoc Themate docemur quanta sit differentia virtutis actiuæ eorum siderum, quæ centrum cardinum possident, ab ijs, quæ remotiora sunt; atq. corū quæ eleuantur, ab ijs, quæ supprimuntur. Signa fixa, si in ipsis contingant malefícia infortunarum, semper suspecta fuerunt luxationis, maximè in Horizonte: & existente ☽ in flexuris, vel in nodis.

Ascensio obl. loci oppositi ☽ est p. 125. m. 18. Asc. obl. gr. o. m. 10. signi ♍ cum latit. boreal. gr. 5. est p. 137. m. 53. vnde remanet arcus Direct. p. 12. m. 35.

XXXXVIII.

Octauij de Tilis

De colico dolore.

HIc patruus meus fuit vir probitatis, & simplicitatis amator; non parum facultatum amisit incuria & fide pollicendo pro amicis, à quibus etiā deceptus inueniebatur, vt ostendit Pars fort. in oppositione ♄ collocata. Obijt post medium Octobris 1633. ætatis suæ anno 72. cum dimidio ex colicis doloribus & febre ob aliquam ciborum incontinentiam, atq. temporis frigiditatem.

250.29.

1561. Aprilis.
D. H. M.
15. 8.26.n.s.
15. 5.P.M.

Latit.
♄ 1.6.M.
♃ 1.0.M
♂ 0.45M
♀ 1.34.S
☿ 0.0.
☽ 3.24M.

Ad vitæ moderationem ☽ videtur inepta, quæ nondum attigerat medium xi. Domus imò suâ ob latitud. merid. parũper eleuata est à cuspide domus xii. Pars for. potius accipiendaque tempore deceßsus peruenit ad □ ♄ cui ex opposito manebat in natali: ♄ autem eleuabatur supra ☿ parallelo cosmico ad colicos dolores decernendos: nam ♄ officiebat quoq. ipsi Horoscopo.

Definio Partem for. sic Asc. obl. ⊕ in Horoscopo est p. 14. m. 33. hanc detraho ab Asc. obl. Horoscopi, & remanet distantia ⊕ ab Horoscopo p. 325. m. 56. quam addo ad asc. rect. ☽ quæ est p. 288. m. 22. & efficio summam p. 614. m. 18. à qua detracto integro circulo remanet asc. recta Partis fort. p. 254. m. 18. adeo quod distaret à Culmine p. 3. m. 49. versus xi. domum; totidem ferè distare debet ♄ ab Horoscopo


versus 2. domum: de qua re breuitatis gratia non scrutamur exquisitum calculum: quoniam hic motus velocissimus est: asc. obl. ♄ in Horoscopo est p. 56. m. 10. à qua dempta ascēsione obl. Horoscopi, addito huic prius integro circulo, remanet arcus Direct. ♄ ad Horoscopum p. 75. m. 41. à quibus si auferantur gr. 3. m. 49. vt ♄ distet ab ortu, sicut Pars for. à culmine, remanet Arcus Direct. Partis for. ad ☌ ♄ p. 71. m. 52. qui æquatus more solito dat Annos 72. cum dimidio ferè. Eodem tempore Pars for. motu conuerso reperta est sub occasu distare à finitore totidem ferè gradibus, quibus ♄ ab Ortu, adeoquod sub eodem parallelo cosmico inuenirentur: Nam differentia ascensionalis Partis for. est p. 26. m. 58. quare arcus semid. est p. 63. m. 2. quibus addita distantia eiusdem à Culmine p. 3. m. 49 atq. etiam apposita dist. ab occasu item p. 3. m. 49. fit summa p. 70. m. 40. vno tantum gradu minor ab arcu Directionis supra inuento.

XXXXIX.

Lucæ Antony Cardinalis Virilis
De Hepatis inflammatione ex Argolo.

OBijt ætatis suæ anno 65. expleto, die scilicet 4. Iunij 1634. cum decubuisset die 21. Martij, cuius decubitum posuimus in superiori tract. ex Hepatis inflammatione. Iam patet quod ♀ in hoc natale in signo ♌ igneo fuit in parallelo declinationis ♂ non longè à Canibus, absq. ♃ auxilio: vnde Hepatis inflammationem declarabat: respexit autem potius præcordia quam renes, quia ♀ erat in ♌ & ☉ lumen temporis, & vitæ moderator in supremo Cardine, & locus directionis in ♌; atq. ♂ qui vna cum ♀ præest renibus, erat liber à ♄. In annis 65. ☉ peruenit ad □ ♂ in Zodiaco sicut Argolus directionis calculum affert; verum eleuatio Poli ☉ iuxta methodum Ptol. est p. 9. sed Arcus Directions idem.

Remanet difficultas quod ægritudo fuit diuturna præter consuetudinem, & naturam ♂. Dico quod incepit ægritudo ex inflammatione, & calore iuxta naturam ♂ authoris; sed propagata est per humorum concursum ad illas partes causa ♄: ☉ enim Direct. contraria ferebatur vna cum □ cosmico exquisito ♄ quod cognoscere facile possumus ex Tabulis



Latit.
♄ 2.34.S.
♂ 0. 2.M.
♀ 3.26.S.

lis Domorum; nam posito Sole in centro Domus 9. Saturnus inuenitur in centro Domus xii. Quod si Sol re vera pertransierat tunc temporis aliquot gradibus nonam Domum, nihil refert differentiæ; nametiam Saturnus totidem gradibus transierat Domum xii. De huiusmodi familiaritate dixi in meo Primo Mobile Exemplo 24. quod est Cardinalis Panciroli: Nunc verò denuo eam repeto; quia sæpius in obseruationibus efficacissimam esse reperi.

Caue quod locus Veneris ex Ephem. Carelli est in gr. 6. min. 24. Leonis. In Sole quoque adest differentia.

Ludouici

XXXXX.

Ludouici xiii. Galliarum Regis.
De affectione in stomacho interna.
Climacterico tempore.
Ex Argolo.

Latit.
♄ 2. 9. S.
♀ 1.36.M.
☽ 4.26.M.

Declin.
♄ 12.27.
♀ 13.49.
☽ 13. 3.

1601. Septemb.
D. H. M.
27.10.30.P.M.

Diem suum clausit Rex iste maximus die 17. Maij 1643. ætatis suæ anno 42. & mensibus 7. diebus 20. ex febre vt refert Argolus, cum iam tribus, vel quatuor annis antea suscitatæ fuissent humorum fluxiones à quibus vitalis calor iacturam pateretur. Memini autem quod ferebatur ipsum laborare praua affectione in partibus internis & forsitan aliquo apostemate; quod verisimile est, nimirum in Hepate & in ventriculo, vt ex infelici Lunæ, & Veneris habitu clarè colligitur, erant enim sub Saturni declinatione

colle-

collocatæ; è signo quoq. Cancri in Horoscopo inuento, cum sesquiquadrato vtriusq. malefici ad vniuersum finitorem. Ad hæc accedit Solem, & Lunam manere in Quadrante autumnali tam in Zodiaco quam in mundo. Ex quibus omnibus exortæ sunt fluxiones humorum frigidorum, pituitæ salsæ, atq. putredo & affluentia bilis atræ in prædictis partibus internis. Erant Saturnus, & Venus occidentales, ideoq. ipsi verè morbum, & putredinem decernebant; at verò ☽ orientalis in prima apparitione, vt cito vitium in ventriculo nutriret, quam morbum, idest frigiditatem, & obstructionem. Tempore obitus ☽ peruenerat ad Imum, vnde quadratum habuit ad Horoscopum iuxta nostram sententiam. Supputatio facilis est.

Asc. recta Imi est p. 161. o. Asc. recta Lunæ p. 199. m. 28. à quà dempta illa remanet arcu Direct. p. 38. m. 28. qui æquatus more nostro dat Annos 41. & menses 7. Quod verò Luna potuisset ostendere validas vires ad rescindendam vitam non est dubium, quæ Saturni, & corruptę Veneris qualitateș induerat familiaritate & signo Libræ.

Ad hęc additur fuisse momentum climactericum exquisitũ; nam die 41. cum horis insuper 15. post natalem; videlicet die 8. Nouemb. cum horis post merid. 2. ☽ inuenta est ingredi gr. 23. signi ♈ ex aduerso loci sui natalis; & in eo loco offendit eadem declin. cum ♄ sicut in natale; Tandem super hæc ♄ loca factum est plenilunium in decubitu ante obitum: vt inde nimirum cognoscamus morbi, & mortis Authorem. ♂ autem lustrabat Horoscopum natalis, quo febrim eo magis incendere valuit, & morbum ex chronico acutum reddere ad perniciem.

Motu quoq. Directionis Canis Maior sidus calidissimum quam proximè ad Horoscopum applicabat.


FINIS.





CVM opus à R. P. D. Placido Tito Perusino Monacho nostrę Congregationis in Almo Papiensi Studio, Lectore Mathematico, Latino Idiomate conscriptum, cui titulus est. *Dies Decretorij Epitome &c.* Tomus Secundus, reuisum, ac recognitum fuerit ab experti, in professione huiusmodi scientiæ, & in lucem edi posse probauerint, auctoritate à Reuerendiss. P. Generali D. Iustino Campora Neapolitano, nobis ad hoc delegata, facultatem facimus vt Typis mandetur, si ijs, quorum interest, videbitur; ideo has litteras manu nostra subscript. sigilloq. nostri Monasterij munitas damus ex Monast. S. Mariæ de Neruiano die 17. Februarij Anno 1663.

D. Gregorius Rainoldus Oliuetanus Abbas S. Mariæ Incoronatæ de Neruiano.



EGO Don Veremundus Corius Cler. Reg. Congr. S. Pauli de mandato Reuerendiss. Patris Magistri Iulij de Mercurijs Inquisitoris Generalis Ciuitatis, & Principatus Papiæ opus hoc continens diuersa natiuitatum stemmata ab Ad. R. P. D. Placido de Titis In Ticinensi Vniuersitate Mathematicæ scientiæ publico & non vulgari Professore elucubratum, vidi & perlegi, & quia nihil in ipso S. Catholicæ fidei, bonis moribus, ac regulis S. Concilij Tridentini, & indicis nuper editi contrarium inueni; propterea stante, quam præmittit, consueta protestatione circa communé loquendi modum quo in huiusmodi rebus vtuntur Astrologi, imprimi posse iudicaui.

Dat. In Colleg. Sanctæ Mariæ Coronatæ Papiæ die 25. Octobris 1663.

Ego Don Veremundus Corius dicti Reuerendiss. Patris Inquisitoris Consultor.

IMPRIMATVR Fr. Hyacintus Minutus Ordinis Prædicatorum Vic. Gen. S. Officij Papiæ.

Imprimat. Io. Georgius Persillonus L. T. Generalis de Mandato I. llustriss. & Reuerendiss. D. D. Episc.

Corius Prætor.

INDEX
Capitum, & Exemplorum.

46 Quæ

EXEMPLA.

